



# JUS NATURÆ PRIVATUM.

---

## CAPUT I.

### *De Principiis theareticis.*

#### S. I.

##### *Notio Juris & Naturæ.*

Jus Naturæ in methodicum & perspicuum redactus sistema & Compendium, Instituti mei depositum Ratio præliminaris, ut & *Juris* & *Naturæ* commensuratè ad scopum propositum Notio determinetur.

Jus itaque aut *pro Lege* sumitur, aut *pro legitima Facultate* à Legibus dimanante. Si *pro Lege* *Jus usurpaveris*, aut erit *naturale*, aut *positivum*; intelligendo per *Jus positivum* *Leges divinas humanasque tum ecclesiasticas*.

¶

fiaſticas , tum civiles à Jure Naturæ contra-  
diſtinctas , ei tamen minimè diſſonas.

Quodſi ſpectaveris *Jus* , prout *Facul-  
tatem* innuit à Lege derivatam legitimè quid-  
quam agendi , omittendi , acquirendi , reti-  
nendi &c.; Idipſum vel à Lege Naturæ , vel  
à Lege divina , vel à Lege humana tributum  
cenſetur: proinde aut *connatum* eſt , aut *ad-  
ventitium* ; Eique correfpondet *obligatio* , ex  
Parre Concernetium , *Jus meum* non tur-  
bandi , neque legitimum *Juris Exercitium* ſive  
uſum ullatenus impediendi.

*Natura* à Rebus ipſis minimè diſtingui-  
tur. Quidquid igitur quoad hoc concipiatur  
ab ipſis Rebus reipsa diverſum , Naturæ ex-  
uit *Notionem* , ac recte *Fictitium* nuncupa-  
tur : Id nempe Rei Natura eſt , per quod  
*Quodlibet* eſt Id , quod eſt. Tot ergo ſunt  
Naturæ , quoſ ſunt Res iſtiuſmodi genere ,  
ſpecie ac Numero diverſae,

Speciatim Natura alia infinita eſt ſive in-  
creata , creata altera ſive finita. *Increata* in  
ſe ſe Rationem complectitur ſufficientem ex-  
iſtendi à ſeipſa , Résque finitas universas ē  
*Nihilo* condendi : *Finita* ē contra à ſe ſe  
existendi Rationem in ſe contineret nullam ;  
Eſſe proinde ſuum atque existere non niſi  
à Conditore omnipotente participare potuit,  
Cujus & Imperio prvidæque Gubernationi  
penitus ſubjacet ac necessariò.

## §. II.

### *Notio Juris Naturæ.*

**J**us Naturæ consistit in Complexione Legum à Deo Nobis congenitarum adtemperatè ad Finem Naturæ humanæ consentaneum ac præstitutum. Quodammodo explicatius Jus Naturæ est Imperium Dei, nostris impressum Mentibus, Nobisque per Lumen Rationis aliaque Principia indicativa promulgatum, atque per Media adcommodata deducens Hominem ad temporalem, & vel maximè ad æternam Felicitatem.

En! primum ac *constitutivum* Juris Naturæ *Principium*, obligationem activam primigeniam, cui inædificantur residuae cunctæ, & in qua, tanquam in suo Centro ac Basi concurrunt & conquiescunt aliæ quæcunque; quâ proinde sublatâ, obligationes adventitiæ universæ eatenus infirmæ sunt & languidæ, ut in semetipsis corruant necessariò, ad Modum Ædificii Fundamento destituti. Tolle obligationem naturalem; & positiva quævis ac humana obligatio sublata erit.

Verùm, an undique certum, existere Jura hæc primigenia, fundamentales has obligationes?

## §. III.



### §. III.

#### *Existentia Juris Naturæ.*

Naturalibus Facultatibus cognoscendi Auctorem suum Deum, seipsum, & Proximum suum; intelligendi Causas, ordinem ac Fines Rerum, discernendi inter Bonum & Malum, appetendi, eligendi Ea, quæ naturæ suæ & Felicitati consentanea sunt & adcommodata, Hominem exornavit Naturæ Auctor; Rationales stimulos, Propensiones & Instinctus Animis nostris imprimendo.

At verò in Rerum ordine *Nihil sive Principio Rationis sufficientis.* His igitur Facultatibus ac Dotibus naturaliter instructus est Homo non nisi cum ipsa hac Ratione sufficiente; ut nempe correspondentibus satisfaciat officiis erga Deum, Seipsum, & Proxiimum.

Juribus proin & obligationibus Hominem devinxit ipsa Natura sive Naturæ Auctor: Mentibus nostris Leges impressit & obligationes, non haustas derivatasque in Animum ab extrinseco sive per sensus externos (proinde fallit Axioma illud tritum: *nihil in Intellectu, quin prius fuerit in sensu*) sed omnipotente Digito Dei spirituali naturalique Modo consignatas in spirituali Animæ nostræ sub-

substantia, quæ suipius per se suarumque Actionum secretissimarum conscientia est, & capax Cognitionis, Deliberationis, Elec<sup>t</sup>ionis, obligationis; quæque suapre naturâ intelligit, quid *universim*, & passim quid *speciatim* primæ Rationi, Honestati, Justitiæ, Æquitati &c. conforme sit aut difforme: quæ & percipit naturalem Conscientiæ Impulsum, naturalis Rationis Dictamen, & obligationem naturalem Bonum prosequendi, & Malum declinandi, operationesque suas juxta Normam Moralitatis ita instituendi ac regulandi, ut eadem Coram Tribunali Auctoris Naturæ propriæque Conscientiæ comprobentur rectæ atque innoxiae.

Quemadmodum igitur Leges positivæ divinæ & humanæ delineatae sunt & scriptæ in Codicibus Legum divinarum & humanarum; ita Characteribus insensibilibus ac spiritualibus Legem Naturæ, Jura & obligationes naturales insculpsit & impressit Auctor Naturæ Animis nostris ceu Normam & Regulam Actionum humanarum naturalium, in quarum Legum naturalium Complexu status Hominis moralis naturalis propriè consistit. Infinita quoque Providentia Media Nobis suppeditavit Jurium horum & obligationum Cognoscitiva sive indicativa.

Quis ausit, quæso! negare, non solum Hominis Nexum ad seipsum & ad Proxiimum, sed præcipuò Nexum creaturæ ratio-



nalis ad Creatorem suum ac Præfinitorem providum, moralem esse & naturalem? Nemo sanè, nisi penitus obbrutuerit. Fecisti Nos Deus ad Te; & quomodo quietum plenéque satiatum poterit esse Cor nostrum, nisi in Te? Quis non persentiscit intimè naturales ac rationales Instinctus, Propensiones & stimulos conservandi seipsum, suumque perficiendi statum? Quis non intelligit Naturâ instigante ac ducente *Principium naturale negativum*: quod Tibi rationabiliter non vis fieri, Alteri ne feceris; & naturale *affirmativum*; quod rationabiliter vultis, ut faciant yobis Homines, Id & vos facite Illis?

Totus itaque Legum naturalium complexus statum moralem Homini connatum constituens, est Radius creaturæ rationali impressus, dictans atque præscribens, quid agendum per se se sit, aut fugiendum.  
 „ Hoc Lumen est totum Hominis & verum:  
 „ signatum in Nobis, tanquam Denarius signatur Regis Imagine; Homo enim factus  
 „ est ad Imaginem & Similitudinem Dei. “  
 S. Aug. in Ps. IV. — Et iterum: „ In Cor  
 „ Hominis non migrando, sed tanquam im-  
 „ primendo transfertur, sicut Imago ex An-  
 „ nulo in Ceram transit, & Annulum non  
 „ relinquit. “ Idem Lib. XIV. de Trinit.  
 Cap. XV.

Hanc porro veritatem Ipsi usque adeo Doctores Ethnici cognoverunt & fassi sunt.  
 „ Hæc

„ Hæc sapientissimorum fuit semper sententia , Legem naturalem neque Hominum  
 „ Ingeniis excogitatam , neque esse scitum  
 „ aliquod Populorum , sed æternum quiddam ,  
 „ quod universum Mundum regeret impe-  
 „ randi prohibendique sapientiæ. Ita prin-  
 „ cipem Legem illam & ultimam , Mētem  
 „ esse dicebant , omnia Ratione aut cogen-  
 „ tis , aut verantis Dei: ex qua illa Lex ,  
 „ quam Dii humano generi dederunt , rectè  
 „ est laudata ; est enim Ratio Mēnsque sa-  
 „ pientis , ad jubendum & deterrendum ido-  
 „ nea. “ Cicero. de Leg. II. 4. —

„ Illuc dissentiamus cum Epicuro , ubi  
 „ dicit , nil justum esse Naturâ , & Crimina  
 „ vitanda esse , quia vitari Metus non possit :  
 „ Hic consentiamus , mala Facinora Conscien-  
 „ tiâ flagellari , & plurimum illi Tormento-  
 „ rum esse , eò quod perpetuò illam solicitude  
 „ urget ac verberat , quod sponsoribus se-  
 „ curitatis suæ non potest credere. “ Sene-  
 ca. Epist. 97. ad Lucil.

Itaque Conscientiæ stimuli connati No-  
 bis sunt , atque ab Auctore Naturæ nostris  
 impressi Mentibus , quin ab extrinseco quo-  
 dam sentium objecto in Nos dirivati sint  
 occasionaliter ; quin & enati sint à Præju-  
 diciis frivolè haustis , aut ab Impostorum  
 Fraudibus , aut à varietate & Energia Edu-  
 cationis , aut ab alio demum hujus generis  
 Principio dimanaverint , atque in nostrum  
 com-



commigraverint Animum , in quo & nullæ  
ut cunque etiam effrænatæ Passiones Remor-  
sum illius enecare potuerunt.

Quis unquam Mortalium , Accusatorem  
hunc suum simul & Judicem internum , de-  
clinare potuit , aut pellere foras ? Conscien-  
tia nostra Tribunal est pro Foro naturali ,  
coram quo Tribunal ineluctabili , Quilibet  
Mali conscius semetipsum & accusat & con-  
demnat : nulla vis & Norma Educa-  
tio-  
nis , Temporum nullæ vicissitudines , nullæ  
Circumventiones , Artificia nulla Accusatori  
huic doméstico silentium imponere porue-  
runt , & Cessationem à vexa competente im-  
perare cum Effectu.

Adversarios hic compello provocoque  
universos , ut primum illum nuncupent &  
in Medium adducant Politicum , qui Mediis  
Motivisque politicis extrinsecis , latrantis in-  
quietantisque Conscientiæ stratagema universæ  
imposuisset humanæ societati . Nemo pro-  
fectò probare poterit aut evincere , quod  
ante primos Legislatores sive sacros , sive  
profanos non extiterint præviè in Hominum  
Præcordiis Juris obligationis ac Conscientiæ  
stimuli , & semina naturalia , ceu Fundamen-  
ta Legum obligationumque positivarum sus-  
cipiendarum : Quid ? quod Legislatores ip-  
sime ethnici , veluti Pythagoras , Plato ,  
Zeleucus , Solon , Licurgus & alii non nisi  
præexistenti Religioni etiam naturali Leges  
suas

Quas inaedificare ausi sint atque valuerint? *Conseſtarium* est, Leges positivas infirmas esse, Roboréque ac vinculo destitutas essentiali, si naturalis obligatio non esset earum *Anima* princeps.

Ineptissimè igitur sæculo priore in Anglia *Thomas Hobbes* comminisci ausus est & statuere præter Alia & hæc sequentia: „Regulae Boni & Mali, justi & injusti, honesti & inhonesti sunt Leges civiles, ideoque quod Legislator præceperit, Id pro Bono, quod vetuerit, pro Malo habendum.... ante Imperia justum & injustum non extitere.“ *De Cive. Cap. XII. §. I.*

Consimilia ex Hobbesio Aliisque consarcinavit, atque sub alia Larva Aquisgrani Anno 1772. in Lucem reproduxit *Fridericus de Trenk*, modò adhuc variis aliis recensimis scribilationibus calumniosis ac contumeliosis in Deum & Homines tantopere famosus, ut Is generale & ineptissimum Hobbesii Principium, videlicet: *Bellum omnium in omnes*, specialissimâ Prærogativa, & Privilegio singulari adoptasse, sibique adcommodeasse videatur.

## §. IV.

### *Auctor Juris Naturæ.*

**Q**uem adoramus totius universi Conditorum omnipotentem, Naturæ Auctorem & Pa-



Patrem , Gubernatorem providum , Hominiisque ad vitam æternam Præfinitorem infinitè bonum ; Eundem & profitemur Juris Naturæ Auctorem ; non enim in ea vesania , Mentisque Hebetudine versamur , ut eò acutius ratiocinari nos de naturali Jurisprudentia existememus , quò longius ab ea Rationem & Imperium Summi Numinis propulsaverimus . Sanè , Quisquis in describenda ac pertractanda Disciplina Jurisprudentiæ naturalis à Deo præscindit , Is & à genuino Jure Naturæ præscindere convincitur .

Conseūtarium est , quod Jus Naturæ , sive primigenia Dei Jusstio nostris congenita Menti bus , Aktionum nostrarum prima Moderatrix , ad Fines Naturæ consentaneos ordinatè nos dirigens , Mediāque ad eos obtinendos suppeditans competentia , in Radice sua & Origine divina sit ; ut proinde Jus Naturæ nuncupari & rectè valeat : *Jus divinum Homini connatum.*

## §. V.

### *Subjectum Juris Naturæ.*

Duo hoc Loco veniunt pensitanda : videlicet & *Jus* , & *Natura* ; in sensu non quidem diviso , sed composito : prout nempe *Jus* istud nostram re ipsa Naturam adficit , & juxta Fines illius , humanas nostras determinat operationes .

Con-

Consectarium est, quod natura juris hujus suscipiendi capax, particeps esse debeat rationis, deliberationis, electionis liberæ; quodque cognoscitiva debeat esse motivo-rum sive momentorum agendi vel non agen-di, finium naturæ consentaneorum, obliga-tionis, remunerationis punitionisque.

Itaque sola creatura rationalis, scilicet inter creaturas sublunares *solus homo* est & esse potest *juris naturæ subiectum*: *juris naturæ principia, media, finesque cognoscit homo*, quæ singula belluis, ad sphæram ignobiliorē destinatis, impervia sunt. Inep-tissimè ergo *Ulpianus*, & post ipsum alii nonnulli dictitant: *jus naturæ illud esse, quod natura omnia animalia docuit*. Quid insulsius?

Cùm igitur *juris naturæ subiectum sit humana natura*, eam ex unione caduci corporis, animique spiritualis coalescere hoc loco advertimus. Vires & infirmitates corporis permultæ sunt & variæ: animæ fa-cultates variæ quoque; hinc & *appetitus hominis* aliis *sensualis* seu *animalis* est, aliis *ra-tionalis* sive *spiritualis*, cui propensiones in-sitæ sunt & instinctus.

Motuum animi æquè ac corporis do-minatrix est *ratio*: sensuum quippe & ani-mi passiones rationi subordinantur, eique tenentur præstare obsequium; ratio autem debet obtemperare Deo, ejusque sapientissi-



mis legibus adtemperare actiones humanas universas.

Moderatur ergo ratio passionibus ac sensibus, ut in officio eosdem contineat; rationi verò moderatur Deus, ut ipsa falsum à vero, bonum à malo secernendo, fines naturæ rationali præstitutos recte intelligat, & per adcommodata media prosequatur & adtingat.

Mentis nostræ ratio suum necessariò cognoscit auctorem, suámque ab eo dependentiam: porro suíipsius conscia, dilucidè perspicit, quòd sit, & quid sit; rerum causas, ordines finésque rimatur; quid rectum, quid pravum sit in humana societate & vita relatè ad Deum, ad seipsum, & ad proximum suum, confidere omnino potest atque colligere, polléisque animus noster ad similitudinem Dei effectus appetitu naturali beatitatis æternæ, sive desiderio connato Deum sine fine ac termino possidendi, ut pote ad quem conditus est & ordinatus.

## §. VI.

### *Objectum Juris Naturæ.*

**O**bjectum, circa quod jus naturæ occupatur, quodque adtingit immediatius, in officiis erga Deum, erga seipsum & erga proximum, cum relatione singulorum ad metam sempiternam, rectè statuitur.

Officiorum horum coordinatio debitaque adimplatio universos concernit & singulos, eoque conatus hominis præcipuò ac necessariò dirigendus est.

Triplex hic nexus, vinculum nempe hominis cum summo Deo, cum semetipso, cum proximo, in ipsis juris naturæ visceribus, primisque fundamentis solidatur.

Non unus est titulus, quo summo adstringimur Numini, atque ab eo dependemus omnimode. *Creatori omnipotenti* debemus id omne, quod sumus: in eo, & per eum vivimus, movemur & sumus. Quare relatus *apud Tullium ipsem Vellejus confiteretur* & inquit: “Vidit Epicurus esse Deos, “quodque in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura; quæ enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum?... Cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege hæc sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse Deos.... De quo autem natura consentit, id verum esse necessum est.,,

Dei, conditoris omnipotentis, in nos dominium atque imperium essentialis est & inabdicabile, cui nostra correlativa responderet subjectio & dependentia ineluctabilis pariter & necessaria, quin Deus huic suo dominio renuntiare valeat.

*In gubernatorem ac conservatorem prouidum* refertur & necessariò vitæ nostræ progressus, ac bonum illud omne, per quod sublevatur corporis & animi nostri indigenia. Amplissimus hic campus peragrandus foret, si pagellarum angustia sineret excurrere in objecta singula, atque in modum penitus admirandum, queis gubernator altissimus corpori providet & animo; eâ etiam ratione, ut conditarum rerum gubernationem sapientissimo consilio abdicare nequeat.

Maxima denique pietas, recognitio & obligatio debetur ex parte hominis Deo, *præfinitori suo infinitè bono*; utpote qui metam nobis finemque præstituit nobilissimum, æternam nempe beatitudinem, vitamque in cœlis interminabilem: media etiam nobis contribuendo competentia in ordine ad finem hunc altissimum re ipsa consequendum. Quamvis autem nec media isthæc, nec finis ipse debitus sit naturæ humanæ, sed potius hæc singula dependeant à gratiissimo rectissimoque arbitrio Dei, elevatum & supernaturalem hunc statum gratiæ & gloriæ, naturæ nostræ superaddentis; nihilominus posita creaturæ rationali, non potuit ipsa non esse ordinata ad finem æternum. Divinis profectò non congruit perfectionibus, ens à summo Deo conditum cum cognitione infiniti Numinis, cum desiderio id ipsum cognoscendi ac possidendi sine fine, cum affectu, inclinazione & amore ineluctabili in bonum istud opti-

optimum maximum , ens , inquam , hisce  
insignitum characteribus , atque ad similitu-  
dinem divinitatis effictum , non nisi ad alium ,  
quam fluxum atque caducum præordinasse  
finem . Qui Deum semel cognoscit , in æter-  
num eum cognoscat , necessum est , divinis-  
que arctissimè colligatum perfectionibus .

Consectarium est , nexus hunc tripli-  
cem hominis cum summo Deo conditore ,  
*gubernatore & præfinitore* validissimum esse &  
arctissimum , atque ex hoc fonte lucidissimo  
diffluere ponderosissima hominis officia &  
amorem Dei super omnia .

Quodsi *semetipsum* tunc quis intueatur  
atque consideret , statum , sortemque suam  
præsentem & futuram perscrutetur intimius ,  
facile conficiet , quod *sibi ipsi* debeat multa ;  
atque haud levia ea esse officia , quæ homo  
in duas personas morales discretus quasi &  
distinctus in vim juris naturalis tenetur præ-  
stare *Sibi* . Propriam vitam ac corporis mem-  
bra conservare , animi facultates scientiis im-  
buere , aut excolere artibus , vacare actioni-  
bus ac virtutibus ad finem sibi præfinitum  
commensuratis & requisitis , vires & verte-  
bras corporis debita ratione ordinare , &  
generatim se æquè ac statum suum perficere ,  
& erga *seipsum* fovere *amorem rectè ordinatum* ,  
finib[us]que naturæ consentaneum , om-  
nino necessum est , & obligationi naturali  
intimum .



Denique titulis vineulisque permultis natura sive naturæ Auctor devinxit hominem cum hominibus aliis, *nos ipsos nempe cum proximo nostro*: communi videlicet origine, progressu, fine, consociatione, mediis ad colendam societatem utilibus ac necessariis, facultatum similitudine &c. & speciatim potentia articulatas efformandi & proferendi voces, in ordine ad cogitata, animique sensa mutuo communicanda; quâ quidem facultate, pro manutenenda societate tanto-pere necessaria, opere stupendo nos instructos esse cognoscimus; non aliâ certè lege motivoque, quam ut suarum quisque circumstantiarum positionem, statum & momenta manifestare queat alteri, atque ea, quae sunt juris, æquitatis & charitatis, informationis, consolationis, sublevationis & auxiliij officia ex fonte justè debitèque regulati amoris erga proximum haurire possit & consequi.

## §. VII.

### *Finis Juris Naturæ.*

**J**uris naturæ determinare finem, idem est, ac in medium adducere & ponderare finem, ob quem conditus, & in quem destinatus est homo. Celsissimum hunc esse finem, & mediis vestitum præminentibus, nemo non intelligit, qui rectum penetrat ordinem rerum, ac sapiens providumque Dei consilium.

Sanè, quemadmodum natura humana, nostri præsertim animi substantia immortalis, ipsa divinitatis imago altissimè elevata est super viventia quævis irrationalia; ita & finis ejusdem longè dissidet à fine eorundem, eoque multò sublimior est atque excellentior.

Finis itaque in consequentiam ipsius etiam juris naturalis homini præstitutus, non in sola conquiescit felicitate temporali & fluxa; sed est vel maximè beatitudo æterna, sive interminabilis possessio boni summi.

Consequitur, felicitatem temporalem, eam nempe, quæ genuinæ solidæque felicitatis nomine intelligi potest & nuncupari, esse viam ad beatitudinem æternam. Eum porro vitam suam, viamque ad cœlestem patriam recte instituisse teneas, atque in ipsa mortalium societate felicem esse dicas, qui pacem habuerit cum Deo, cum semetipso, & cum proximo suo talem, cui bonæ conscientiæ leges testimonium reddunt irreputabile; cuius & ipsa beatitudo æterna, finis noster ultimus, Deus beatificè possidendus complementum est & præmium.

Quisquis igitur impedit ea Deo, quæ Dei sunt, sibi ipsi, quod debet sibi, & proximo, quod tribuendum est proximo, is vitam instituit finibus naturæ rationalis adtemporatam; vivit nempe convenienter naturæ destinatae non ad solam temporalem, sed vel maxi-

maximè ad felicitatem veram , perfectam & interminabilem.

Consecrarium est, quòd finium ultimus & maximus sit *conditoris glòria* , & æterna nostra beatitas: cuius veræ intuitu beatitatis hoc loco notandum, quòd tribus præcipuis debeat insignita esse characteribus: *primo*, debet obtineri posse, mediis nempe competentibus; *secundo*, debet esse completa, ita, ut miserias removeat universas, animique facultates & desideria penitus expleat; *tertio*, debet esse stabilis, seu duratura in æternum. Ex triplici hac nota legitime concluditur, beatitatem veram præsenti mortalitati haud concessam, sed alteri vitæ immutabili reservatam esse à Numine summo. Insuper ordinatio creaturæ rationalis ad finem hunc æternum, ex parte divinarum perfectionum necessaria est; necessariæ quoque præceptiones & prohibitiones, ac correspondentes commensuratæque præmiationes ac punitiones etiam æternæ.

Conficitur ex his, quantopere hallucinati sint ii jurisprudentiæ naturalis pertracatores, qui hominis finem ultimum (inficiando, primigenium hominis statum esse moralem) à solis principiis extrinsecis postulare conati sunt atque deducere.

*Hobbesius* supra memoratus præter conservationem suipius, cui adficebatur præ-

omnibus, & præter jus omnium in omnes,  
 & inde derivatum bellum omnium in om-  
 nes, perperam utrumque stabilitum, minimè  
 veritus est, ipsam adeo notionem peccati à  
 fine bonoque civitatis metiri atque reposcere;  
 quare non reformidavit asserere Cap. XIV.  
 §. 17. : " ut peccatum sit , quod quis fe-  
 " cerit, omiserit, dixerit, vel voluerit con-  
 " tra rationem civitatis, id est contra leges,,  
 arbitrias nempe civilésque contra leges sit  
 oportet: bonum ergo temporale suprema ei  
 lex fuisse videtur & finis maximus.

*Samuel Puffendorfius* socialitatis cultor  
 præcipuus, ejusdémque deprædicator magni-  
 ficus, ordinationem hominis ad finem æter-  
 num à statu naturali excludere nititur dicen-  
 do: " Sola ratio in religione ulterius pro-  
 " gredi nequit, quām quoisque illa inservit  
 " promovendæ tranquillitati & *socialitati bu-*  
*" jus vitæ:* nam prout religio salutem ani-  
 " marum procurat, ex peculiari revelatione  
 " divina provenit. „ *De off. hominis & civis;*  
 Cap. III. §. 13.

*Christianus Wolffius* pro scopo juris na-  
 turalis adoptat perfectionem physicam fa-  
 cultatum humanarum, & tendentiam quasi  
 continuam ad perfectionem istam. Inter alia  
 statuit sequentia:

“ Beatitudo philosophica, seu sumnum  
 “ bonum hominis, est non impeditus pro-  
     “ gressus



" gressus ad maiores continuò perfectiones...  
 " Bonum hominis quærendum est in ipso;  
 " non extra ipsum..... quamobrem nec  
 " Deus dici potest summum hominis bonum,  
 " ubi quæritur de bono, quod homini in-  
 " hæret, aut si mavis, quod in se possidet...  
 " nec aliud imposterum intelligemus, quām  
 " non impeditum ad maiores continuò per-  
 " fectiones progressum , quoties posthac de  
 " summo bono verba faciemus.,, §. 374.

*Hobbesio* nominatim, & ob rationis pa-  
 ritatem, variis aliis ipsiusmet *Chumberlandus*  
 opponit sequentia: " Universum hoc , cuius  
 " incolæ nascimur, quodque primò se offert  
 " considerandum , innumera nobis suppeli-  
 " tat, quæ ad primæ suæ causæ cognitio-  
 " nem ac honorem animum sollicitant, & si  
 " nosmet spectemus, mentium perfectioni-  
 " bus inserviunt... Cùm autem hæc ex ob-  
 " servatione innotescant obvia, adeo ut *Hob-*  
 " *bium* latere non possent, facile quilibet  
 " conjiciat, quam ob causam juri legibüs  
 " que naturæ finem assignarit non amplio-  
 " rem, quām caducæ hujus vitæ conserva-  
 " tionem: interim ad obtinendum *exiguum*  
 " adeo finem, omnia unicuique dedit tanquam  
 " necessaria; hic autem tantundem in ex-  
 " cessu peccavit , quantum ibi in defectu.  
 " Nec unquam turpius peccari potest , quām  
 " finem optimum negligendo , & impossibilia pro  
 " mediis necessariis reputando.,, Cap.I. §.XXIX.

*Heineccius* verò de suis in juris naturalis pertractatione antesignanis (abs dubio de *Hugone Grotio*, *Hobbesio*, *Puffendorffio*, *Wolfio*, *Christiano Thomasio* &c.) in modum loquitur sequentem: “*Quicunque* adhuc in pulcherrima illa disciplina versati sunt, illi doctrinas suas vel nulli certo ac indubio principio superstruxerunt, veritates varias, easque utilissimas, veluti uno fasce, collegisse contenti, vel principia parum idonea admiserunt, vel ea denique ex subtilissimis, quas metaphysica suppeditat, notionibus petierunt, ut *data veluti opera te nebris omnia involvere voluisse videantur.*”

Praef. Pag. XII.

Verùm, etsi *Heineccius* in explananda jurisprudentia naturali & gentium, ac statuendis dimentiendisque disciplinæ hujus principiis & finibus æquior sit atque felicior viris jam nominatis; optandum nihilominus foret, ut sistema ejusdem in pluribus mancum non esset, atque ad scopum genuinæ ac tersæ jurisprudentiæ naturalis & gentium proprius accederet.

Meretur & hoc loco, circa Authores, quos enumerat ipse, audiri *Cl. Zallinger*, ubi inquit: “Cum plurimi tractatores hujus disciplinæ id fere spectent, quod hominum natura cum bestiis commune aut etiam depravatum habet, pauci complectantur omnia, quæ indita nobis à natura sunt, “ nec



" nec satis attendant ad nobiliores illas fa-  
 " cultates, per quas similitudine quadam at-  
 " tingimus primam & infinitam mentem:  
 " usu venire solet, ut iidem mirificè differ-  
 " tiant in eo, quid naturæ conveniat maxi-  
 " mè. *Hobbesius* considerata ferocitate quo-  
 " rundam populorum & communi hominum  
 " cupiditate sibimet consulendi, vim ac bel-  
 " lum omnium in omnes, *Epicurei* sensuuni  
 " oblectamenta, *Puffendorffiani* societatem, *Stoi-*  
 " *ci* virtutem quandam rigidam & sensus  
 " expertem, alii alia statuerunt, secundum  
 " quæ convenienter naturæ vivi possit ac  
 " debeat. *Wolffiani* perfectiones rerum, stu-  
 " diumque honiinis semet perficiendi perpe-  
 " tuò in ore habent. At, si penitus eos ex-  
 " cussleris, intelliges certè, æquè corporis ac  
 " sensuum commoda, quam animi cultum;  
 " dein copiam rerum ad vitæ jucunditatem  
 " servientium.... & quidquid propriæ uti-  
 " litatis ac fluxæ beatitatis nomine venit,  
 " ab illis *perfectiones* nuncupari, honestiore  
 " saepe vocabulo, quam re. Qui ab homi-  
 " nibus incultis, & inveterata barbarie effe-  
 " ratis discendum putant, quid naturæ maxi-  
 " mè conveniat; perinde sentiunt, opinione  
 " mea, ac si à luscis de coloribus exqui-  
 " rendum judicium dicerent, aut vinolento-  
 " rum ac furiosorum somnia consiliis homi-  
 " num sanorum sobriorumque, & sapientum  
 " cogitatis esse anteferenda. Alii ad primæ  
 " ætatis motus, & gliscentis rationis sensa  
 " plurimum attendunt; quasi de natura at-  
 " que

“ que indole frugum judicandum sit tum,  
“ cum immaturæ sunt aut putres. „ *Institut.*  
*3. N. Cap. I. §. IV.*

### §. VIII.

#### *Determinantur media cognoscitiva juris naturæ.*

**P**rincipium constitutivum juris naturæ stabilitum est superius; atque hoc ipsum est regula illa immobilis & immutabilis, quæ ceu primum regulans ac dirigens principium in ponendis omittendisque actionibus humanis statum moralem naturalem concernentibus, regulari nequit ab alio, cuíque humana correspondet natura tanquam subjectum regulatum.

Isthoc de principio faretur *Heineccius*, quod sit id, “ quod Deus immortalis non solis eruditis, iisque, qui acutius reliquis vident, sed omnibus omnino hominibus, non modò perspectum, verùm etiam eorum mentibus inscriptum esse voluit. Nullum verò reperiri principium evidentius,.... quām voluntatem Dei. „ *Præf. Pag. XII. & XIII.*

Residuum est, ut & media cognoscitiva, sive *principia indicativa* juris naturæ dilucidè explanentur: quippe, cùm in complexione seu cumulo legum naturæ aliæ sint *universales* ac generatim omnibus ratione utentibus notæ; aliæ verò *particulares*, quæ enucleatio-



ne indigent ac discussione, ut debitè evolu-  
tæ perspici à nobis valeant & ponderari,  
suísque adplicari finibus & objectis; hinc  
consentaneum penitus fuit atque necessum,  
ut divina providentia media nobis pararet  
& communicaret indicativa seu cognoscitiva  
sapientissimi sui imperii omnium mentibus  
infisi.

*Principium indicativum* generatim igitur  
id rectè nuncupatur, quod est medium com-  
petens deveniendi in agnitionem jurium &  
obligationum naturalium. Media proinde no-  
titiam hanc nascendi comparandique, to-  
tidem sunt promulgationes legis naturalis,  
adeoque cum lege hac ipsa minimè confun-  
di debent: unde & media duntaxat indicati-  
va seu cognoscitiva juris naturæ vocantur.

Media seu principia hæc aut *interna* sunt  
aut *externa*; spectant nempe vel ad *rationem*,  
vel ad *authoritatem*. Ratio nostra participata  
à prima ratione imparicipata, immediatus  
est subjectum, in quo jus naturæ relucet &  
existit, sive quod ab imperio Dei sibi con-  
nato & impresso regulatur atque dirigitur  
eatenus, ut connexionem rerum, causarum,  
effectuum & finium perspicere valeat ac pon-  
derare, concludere extunc, sibique ipsi dic-  
tare & promulgare, quid naturali juri, æqui-  
tati, charitati, honestati consonum sit aut  
dissonum.

*Ratio* itaque hoc spectata modo *internum* est principium juris naturæ *indicativum* seu cognoscitivum. — Pariter *sensus communis*, dictamen illud naturale & ineluctabile circa judicia quædam uniformia ac stabilia, quæ gravissima respiciunt principia morum, quæque unanimi, minimèque interpolatâ omnium populorum, diversorum etsi locorum ac temporum, diversæ aliunde educationis, opinionis & indolis, sententiâ afferuntur, pro *principio indicativo interno* rectè statuitur. Referri solent & alia nonnulla, quæ tamen in his reipsa continentur.

*Principia indicativa externa* complura recensentur, & meritò: nam amplissimus juris naturæ campus veritates complectitur per multas, quæ sine adminiculis etiam externis penetrari nequeunt debitèque cognosci: opus igitur est interpretationibus profluentibus ex sanis purisque fontibus: divina nimirum & humana *authoritas* plurimas juris naturæ veritates antea incognitas evolvere potest, & ponere in lucem.

Præprimis itaque primum ac principalius juris naturæ principium indicativum *externum*, statuitur *verbum divinum* nobis revelatum, ac præcipuo in sacra Scriptura veteris novique testamenti contentum. Altissimas in sacris his paginis exponi veritates juri naturæ intimas, nemo ignorat, qui istas perscrutatus est paginas. Et certè, quis unquam

cum



cum majore rationum pondere, cum majore claritate & sapientia, cum majore impressione in corda mortaliū juris naturae principia tum universalia, tum particularia explanavit & inculcavit, quām Christus, magister noster maximus? inficias iverit nemo unus, quod nunquam ita locutus sit homo, quodque Evangelium ejus hoc etiam in genere veritates proferat stabiliatque altissimas, innumerās, & plānē stupendas: quare ipius met J.J. Rousseau, etli deista, confitetur publicè: "Fateor, quod intuitu majestatis ex Scriptura reluentis obstupescam; Evangelii sanctitas cor meum penetrat, atque per cellit intimè.... quanta puritas in doctrina morum! quanta in dogmatibus altitudo! quām profunda Sapientia in Christi discursibus! quām admiranda in responsis illius energia & rectitudo!,, Emile, T. 3. pag. 179.

Positivum itaque verbum divinum veritates naturales quamplurimas nobis exponit infallibiliter, & pro explicatione juris naturae utile non solum est, verum & necessarium.

Conficitur ex his, recedendum omnino esse ab authoribus illis, qui in jure naturae solā ratione agendum esse dictitant atque decernunt, quique divinam proinde supernāmque institutionem ac revelationem hoc loco penitus explodendam contendunt ineptissimè.

tissime cum Puffendorffio, Thomasio, Wolffio,  
Fleischero, Velthusio, Iacobo Schmaus & aliis.

Hoc super objecto ratiocinantem egregie Isidorum pelusiota audire juvabit: “ Christus ita docet: omnia, quæ volueritis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter: quid quælo! vel Platonis dialogi, vel Homeri fabulæ, vel Demosthenis libri, vel tragediæ varii & inopinati casus, vel comediae argumentum, si ad hanc brevitatem perspicuitatemque conferantur? .... Quot dialogos conscripsit eruditissimus Plato, dum conatur demonstrare quid sit Justitia? nec tamen quidquam potuit proferre, quod esset perspicuum, aut persuadere quibusdam . . . quam multa scripsit Aristoteles Platonis se opponens, ejusque dogmata traducens velut in comœdia? sed neque ipse quidquam utilitatis contulit, nisi quod pugnam verborum vitae humanæ generavit. Quam multa Stoici adversus Aristotelem armati conscripserunt? sed horum quoque extincta sunt dogmata: comparent igitur cum iis, qui sapientes perhibentur, divinorum oraculorum perspicuitatem, & desinant nungari, divinamque oraculorum perspicuitatem amplectantur, quæ non ad ambitionem, sed ad utilitatem audientium respxerit,

*Lib. IV. Epist. 91.*

Profecto, pro dilucidatione juris naturalis adcommodatius nihil est & efficacius,



quam sacrarum effata scripturarum; totumque  
juris naturae objectum, officia nimirum omnia  
juribus & obligationibus naturalibus generatim  
correspondentia brevibus distinctisque ver-  
bis complectitur & expendit Christus Matth.  
23. "Diliges dominum Deum tuum ex to-  
to corde, & in tota anima tua, & in to-  
ta mente tua; hoc est maximum & pri-  
mum mandatum. Secundum autem simi-  
le est huic, diliges proximum tuum sicut  
teipsum." Sal. 11. 17. 18. 19.

Diligendus ergo Deus super omnia;  
cunctisque aliis semper praeferendus, diligen-  
dus corde, ore & opere; solus enim ille  
qui servat mandata, eadem videlicet re ipsa  
adimplendo, & quidem singula, propriè ve-  
réque Deum diligere comprobatur. — Dilig-  
ere & semet sum quilibet tenetur, scilicet  
amore recte ordinato. & finibus creaturæ ratio-  
nalis consentaneo. — Diligendus quoque  
proximus amore simili, ita tamen, ut in  
conflictu seu collisione boni æqualis relatè  
ad nos & proximum, amor proprius præva-  
leat alieno.

Principia demum *indicativa* juris naturæ  
merito etiam statuuntur concilia, patres, jus  
canonicum & civile, quæque sunt aliæ hujus  
generis institutiones, quibus mediantibus in ex-  
plicatam juris naturæ notitiam deveniri potest.

Audiamus S. Thomam circa hoc ita  
differentem: "Quædam sunt in humanis  
acti-

" aëtibus adeo explicata, ut statim cum mo-  
 " dica consideratione possint adprobari vel  
 " reprobari per illa communia & prima prin-  
 " cipia: quædam verò sunt, ad quorum ju-  
 " dicium requiritur multa consideratio diver-  
 " sarum circumstantiarum, quas considerare  
 " non est cujuslibet, sed sapientum . . .  
 " necesse est, quod omnia præcepta moralia  
 " pertineant ad legem naturæ, sed diversi-  
 " mode; quædam enim sunt, quæ statim  
 " per se ratio naturalis cujuslibet hominis  
 " dijudicat esse facienda, vel non facienda,  
 " sicut: honora patrem &c. quædam verò  
 " sunt, quæ subtiliore consideratione à sa-  
 " pientibus judicantur esse observanda: & ista  
 " sic sunt de lege naturæ, ut tamen indi-  
 " geant disciplina, qua minores à sapienti-  
 " oribus instruantur. " I. 2. Quæst. C. Art. I.

Conficitur ex hucusque relatis, iuris  
 naturalis ignorantiam quoad *principia univer-*  
*salia* locum non habere, bene tamen quoad  
*particularia*, diversimode tamen relatè ad ho-  
 mines magis minusve cultos in hac re atque  
 institutos.

Quid sentiendum nunc de blasphemis  
 atque in providum naturæ auctorem ingra-  
 tis *Atheistis*, summum hunc omnium Paren-  
 tem, unà cum toto statu naturali *moralis*  
 effrenè negantibus? quid de *Materialistis* in  
 genus humanum tantopere injuriosis, ut na-  
 turam humanam ad sortem gregemque bruto-



xum retrudere non erubescant, & sic naturæ jus omne, ejusdémque officia singula, & his correspondentia alterius vitæ præmia ac supplicia è radice evellere atque exterminare conentur ex industria? — quid de *Naturalistis* atque *Deistis*, naturæ quidem jus homini tribuentibus, media tamen indicativa externa præcipuò, & divinam in specie revelationem ad juris naturalis explanationem nec utilem, neque necessariam esse, imò eam nequidem existere stolidè garrientibus?

Dicendum certòque tenendum, quod monstruosis hisce adsertionibus, naturalem connatúmque nexum hominis ad Deum, ad se, & ad proximum penitus dissolventes, toti humanæ societati vulnus infligant lethale, tollantque è medio vinculum istud primum & maximum, quod ad continendos in officio homines natum est, & ab infinita providentia nobis datum.

Videant ergo principes, animoque recognitent, quanta in Ecclesiam non modò, sed & in ipsam rempublicam è venenosis his fontibus damna redundant quantæque morum strages? — media adhibeant competentia & efficacia satis, ad pestem hanc eliminandam ex imperii finibus; ut hoc tandem remedio obstruantur ora loquentium iniqua, & in officio contineatur populus, suoque æterno etiam fine haud frustretur,

Contra genus illud hominum pœnæ etiam  
criminales jam dudum sancitæ fuere in *constit.*  
*Iustiniani, novell. 77. ad Recess. Imp. de An. 1584.*  
*tit. de blasph. item de An. 1552, tit. eod. § 3.*  
*Carol. art. 106. R. I. de An. 1548.*

Speciatim verò in *reform. bonæ politiæ.*  
*de An. 1542. tit. I. §. 2. ordinatur rigide-*  
*que præcipitur, ut ii, cujuscunque etiam*  
*fuerint conditionis, qui blasphemias in Deum,*  
*in incarnationem, in divina sacramenta &c.*  
*effutire sint ausi, pro ratione delicti ipsa etiam*  
*morte plectendi sint.*

Conficitur, hoc genus hominum tem-  
pore nostro maximopere dilatatum, per  
urbes & pagos modò diffusum, in imperio  
salvis juribus *tolerari* non posse: mirum pro-  
inde, quod coram foro competente non mo-  
veatur gravamen huc pertinens: de eliminan-  
dis nempe è territorio sociis, qui Deo, re-  
ligioni & reipublicæ infideles esse dignos-  
cuntur, quique sua eousque dilatant philacte-  
ria, ut totidem ferme numerent paganismi  
sui reviviscentis præcones, quot perditæ hu-  
jus sectæ habent candidatos: experientia quip-  
pe docet, quod ad faciendos profelythos  
mare circumneant & aridam; nempe ut uni-  
versas valeant subvertere domos, retibusque  
suis incautam præcipuò possint involvere ju-  
ventutem, intentatum relinquunt nihil.



Verum, quis non intelligit, quod homines isti, qui nihilominus specioso *Dilectorum* gloriantur nomine, in ipsa christianismi luce meridiana, ethnicis denuo tenebris involvere cuncta laborent, & sic in rem publicam æquè ac in religionem sint injurijs.

Quare de talibus suo jam tempore *Carolus Magnus* dicebat egregiè: “ capere “ non possumus, quod homines, qui refractarii sunt in Deum, fideles sint nobis.” *in select. capitul. tom. 2. tit. I. cap. 2.*

## §. IX.

### *Notio & divisio statūs.*

**N**omine status *generatim* intelligitur complexio notarum tum constantium, tum mutabilium, quæ sunt vel in ipsa re, vel ei extrinsecus adveniunt. Status rei aliis est *physicus*, dum ipsa nimirum juxta proprietates, affectiones, operationes, effectus & adjuncta prorsus naturalia seu merè physica spectatur: aliis *moralis*, quando complexio notarum, quæ insunt aut adhærescunt naturæ intelligenti, refertur ad mores, nemipe ad jura & obligationes, hominem ex quoconque morum capite concernentes. — Quidquid existit in serie rerum, id pariter certo quodam affectum est statu.

Statum hominis, & vel maximè statum ejus *moralement* hoc loco determinare instituti præsentis est & propositi, discernendo præsertim statum naturalem sive primigenium hominis à statu illius acquisito seu adventitio.

*Status naturalis* sive primigenius hominis ille est, quem adipiscitur homo cum natura sua, nullo accedente hominis facto, instituto, aut peculiari Dei dispositione. *Status* è contra *adventitius* ille nuncupatur, qui facto proprio aut alieno acquiritur, & naturali statut superadditur.

Status igitur hominis *moralis primigenius* sive natura is consistit in iuribus, obligatiōnibus & finibus homini connatis, quatenus is nempe ex primæva hac constitutione & conditione rationalis creaturæ dirigitur ad officia præstanta Deo, sibi & societati, sive proximo, atque per hæc tendendo ad felicitatem suam temporalem & sempiternam: & quemadmodum natura humana in omnibus totius societatis humanæ individuis eadem est specie, sic quoque singulis idem inest status primigenius.

Status hominis *moralis adventitius* dependet à facto proprio aut alieno, vi cuius aut ipsi nos ad certam vivendi regulam aut normam fini naturæ haud dissonam determinamus è momentis sive motivis competenti bus; aut ab alio nobis imponitur vivendi ope randi-

randique conditio singularis, statui primigenio superaddita eique minimè contraria. Statuum adventitiorum crebriora occurrent exempla, dum acturi sumus de societatibus. Status porro naturalis vocari & assolet status *absolutus*; & adventius nuncupari solet *hypotheticus*: veluti & jura alia sunt *absoluta*, alia *hypothetica*, ac vicissim obligationes istiusmodi.

Quamdiu obligationes statui cuidam adhaerentes inter se se non opponuntur, affectus quis esse potest statibus adventitiis pluribus; qui nempe ordinis sunt diversi, diversorum proinde jurium & obligationum fine officiorum collisione in effectum deducibilium.

Non tamen admittitur *status in statu* ejusdem generis & ordinis. v. g. Magistratus in Magistratu, Episcopatus in Episcopatu, Papatus in Papatu &c: jura quippe & obligationes iis adhaerentes, sibi non subordinantur, sed efficiuntur potius sunt, suique destructiva ex propria notione. Perperam tamen & minus scitè statum in statu existere quis dixerit ex eo, quod respublica civilis sit in respublica sacra, sive quod imperium sit in ecclesia; nam societas sacra sive ecclesiastica jura habet alia, correspondentesque obligationes & fines alios, quam societas civilis seu imperium politicum, quod juribus gaudet, correspondentibus obligationibus & finibus diversis omnino, & à prima societate distinctis.

Discussionem statūs *naturæ puræ* rigidis  
iis scholasticis, qui per ideas fictas nonnisi  
cum larvis sære pugnant, relinquimus. Ex-  
plicationem verò statūs *naturæ integræ* &  
*lapsæ* remittimus ad scripturistas, & ad theo-  
logos dogmaticos & polemicos, rem hanc  
juxta revelatum verbum divinum ecclesiæque  
definitionem debitè illustrantes stabilientésque:  
etenim in segerem alienam, nostram non li-  
bet mittere falcam.

Denique patescit ex hucusque relatis,  
quod jus naturæ in vim principiorum suo-  
rum, mediorum & finium sit *norma legum*  
*positivarum* eatenus etiam, ut hæ ab obliga-  
tione naturali deflectere nequeant, neque ad  
legis dignitatem adsurgant, imò leges esse  
cessent, si fundamentalibus hisce non sint  
maneántque inaedificatae legibus.

## CAPUT II.

### *De principiis practicis.*

#### §. I.

### *De regulis obligatoriis, suasoriis, & concessoriis.*

**E**volutis principiis *theoreticis* jurisprudentiæ  
naturalis, iis nempe, per quæ quasi in ab-  
stracta mentis contemplatione fistuntur ac  
ponderantur juris naturæ cognitiones univer-  
sa



saliores circa naturam humanam, animique facultates & corporis vires, circa juris naturae existentiam, auctorem, subiectum, objectum, fines, officia hominis varia & neminem eorum, status diversos &c; progredimur ad practica hujus disciplinæ principia, investigando nimirum, quomodo mediantribus ac manuducentibus cognitionibus theoreticis, actiones nostræ in praxi instituendæ sint & regulandæ; frustra enim theoreticis essemus imbuti principiis, nisi haec in praxi norma nobis essent ad recte operandum.

Patet ex his discriminis principia theoretica inter & practica juris naturæ; theoretica enim ad instar fixæ in mente nostra stateræ actionum nostrarum momenta librant; practica vero in applicatione & executione determinant reguntque operationes nostras juxta triplicem regulam hanc practicam, quid nempe re ipsa fieri aut debeat, aut expediat, aut possit.

Pro majore trium regularum harum moralium illustratione perspicuam earum juvat adducere notionem. Itaque in genere isthac aliæ sunt regulæ obligatoriæ, vi quarum notum efficitur, quid homo relatè ad jus naturæ necessario agere debeat aut omittere: aliæ suasoriæ, & per has innuitur & intelligitur, quid attento jure naturæ per modum consilii sive incitamenti ob fines præstantiores & celsiores eligere potius oporteat sive expediat; ita tamen, ut finem hunc altiorem non

non sectando, nihilominus à culpa simus im-  
munes: aliæ *concessoriæ*, vi quarum innoteſcit  
& conceditur homini facultas, inter fines  
juri naturæ aliunde consentaneos, ab eo pro-  
inde ex nullo capite discrepantes, liberè un-  
de quaque agendi quidquam aut omittendi.

Præter regulas has obligatorias, sua-  
ſorias & concessoriæ in ipso juris naturæ  
fonte nullas agnoscimus & conspicimus alias,  
ſi nempe de alia diſtincta juris naturalis re-  
gula morum quæſtio instituatur.

Recte igitur concludimus, nullum in ri-  
gore eſſe naturæ jus *merè permittens*, ſi id  
ipſum eo intelligatur ſenſu, quod in hoc  
genere extaret actio moralis ſive humana,  
quæ ad nullam prædictarum regularum eſſet  
referenda, ſeu circa quam jus naturæ ſe ſe  
haberet merè indifferenter, honestatem aut  
turpitudinem actionis illius moralis minimè  
determinando: omnis quippe moralis actio  
ad certam moralitatis regulam referri debet,  
& ab ea bonitas ejus aut malitia dimetienda  
venit.

Quoniā porro omnis actus *humanus*  
poni debet cum libertate ex parte volunta-  
tis, & ex parte intellectū cum advertentia  
ad regulam morum; cùmque bona ſit actio,  
ſi morum regulæ ſit conformis, mala écon-  
tra, dum ei diſformis eſt; hinc *nullam actio-*  
*nem humanam indifferentem* statuere poſſumus  
aut admittere. Ea



Ea hoc loco reincidit quæstio, quodnam sit primum, universale & immobile regularum harum memoratarum principium eatenus, ut in eo principio conquiescant ultimatè, atque ad illud, tanquam ad primam suam scaturiginem singulæ reducantur?

Indigitavimus principium istud supra §. II. veluti & §. VIII. Veruntamen paulò explicatius, & ad rem præsentem adcommoda-tius eo de principio hic differere juvat.

Natura humana, ceu participata à cau-sa & natura prima imparicipatâ, per se re-ferri debet ad primam hanc suam originem. — Actiones humanæ pariter primum aliquod respiciunt principium, primam quandam nor-mam regulantem, ad quam relatæ, morales efficiuntur, bonæ videlicet, si huic principio conformes, malæ, si fuerint ei difformes.

Itaque, quoad mensuram juris naturalis, justam esse actionem humanam rectè dixero, dum illa conformis est justitiae primæ, sive imparicipatæ & infinitæ, injustam verò, dum cum ipsa hac justitia prima conciliari non potest: ex quo consequitur, valorem boni finiti metiendum esse à bono infinito; & generatim moralitatem actionum humana-rum conferendam esse cum prima moralita-tis regula immobili & infinita, ut valor ejus ponderari valeat & mensurari.

Nullam ergo actionem humanam honestam esse ad severavero, nisi illa cum prima & infinita honestate collata fuerit, eique probata conformis: actio nulla humana æqua erit, nisi comparatè ad æquitatem primigeniam sive infinitam; nulla humana actio sancta, provida, sapiens &c., nisi relatè ad infinitam sanctitatem, providentiam, sapientiam &c., jus nullum participatum, nullum participatum sive humanum dominium rectum sive in se, sive in suo usu, nisi relatè & conformiter ad jus imparicipatum, ad dominium primum & infinitum; rivuli nimirum à prima sua scaturigine pendent, omnemque ab ea progressum sortiuntur. — Sensu igitur jam explicato, voluntas Dei pro constitutivo juris naturalis principio statuitur.

Meritò igitur genuini jurisprudentiæ naturalis doctores contendunt atque decernunt, quod humanæ actiones universæ res piciant & adtingant perfectionem quandam summi Dei; videlicet omnes aut viâ conformitatis ad perfectiones infinitas accedunt, aut via difformitatis ab illis recedunt.

“ Cum autem (veluti inquit Zallinger  
 “ §. IX. pag. 19.) Deus vi perfectionis suæ  
 “ imperfectus esse, sive, ut veteres ajebant,  
 “ negare seipsum non possit, neque aliter  
 “ regere hominem, ei imperare, vetare,  
 “ aut concedere quidquam, nisi convenienter  
 “ suis perfectionibus; “ hinc rectè concludimus,



mūs; quōd Deus nequeat dispensare in illis  
juris naturæ actionibus, quæ perfectionibus  
suis proximè & immediatè sunt difformes;  
faceret enim extunc, quōd actiones illæ *hu-  
manæ*, quæ primæ moralitatis normæ imme-  
diatè & ex ipsa primæ hujus regulantis nor-  
mæ indole opponuntur, ei conformes essent;  
id est, bonæ moraliter & licitæ: id quod à  
sana mente nullatenus concipi posse reor.

Quodsi opponere quis velit & objicere;  
Deum *Gen. 22.* præcepisse *Abrahamo* occisi-  
onem filii sui *Isaaci*; excitando nimirum in  
*Abrahāmi* voluntate *resolutionem*, in vim hujus  
mandati perimendi sive in holocaustum (*abs-  
dubio cruentum*) offerendi filium suum; &  
quamvis ob revocatum mandatum reipsa oo-  
cīsus non fuerit *Isaac*; præceptum tamen istud,  
relatè ad propositam occisionem innocentis,  
juri nauræ contrarium eatenus esse, ut quoad  
hoc Deus in jure naturæ dispensasse videatur.—  
Hoc, inquam, opponenti, responderi pote-  
rit, intentionem occidendi *innocentem* esse  
quidem actionem intrinsecè malam; & primæ  
oppositam justitiæ: verùm, quōd *Isaac*, æ-  
tatis utpote tunc modò competentis, eatenus  
adhuc fuerit innocens, ut Deus violentiam  
temporalis ejus vitæ commutationem cum  
vitâ æterna salvis absolutis juribus naturæ  
imperare non potuerit, quis adseveraverit?—  
Legimus profectò, quōd *Oza* ob levem arca-  
contactum *2. reg. 6.* — & *Ananias & Saphira*  
propter mendacium, coram apostolorum prin-  
cipē

cipe morte puniti fuerint. *act. 5.* — Nolumus tamen hac differendi ratione incusare Isaacum patriarcham sanctum; quin potius ipse ob promptam divini mandati suscipiendi obedientiam, commendabilis sit maximè.


Neque per hoc Deus in jure naturæ dispensasse putandus est, quod *i. reg. 15.* per *samueli* præceperit Sauli relatè ad *Amalecitas*: “ interfice à viro ad mulierem, & parvulum, atque lactentem. ”

Nam & parvuli & lactentes isti erant communi gentis hujus culpâ circumvoluti voluit nempe Dominus, ut tota isthæc facinorosa gens pereat & extirpetur, ipsis etiam comprehensis infantibus, quibus nationis suæ peccatum imputatum videtur ex eo, quod legitur *eod. cap. v. 18.* “ vade, & interfice peccatores amalec: “ omnes nempe & singulos sub peccatorum nomine comprehendendo, omniumque excidium justè præcipiendo. ”

De usitata olim apud patriarchas etiam sanctos polygamia, in jure naturæ sociali, tenui loco competente, ex instituto agemus.

Ex regulis obligatoriis, suasoriis ac confessoriis superius consignatis corollaria derivantur sequentia:

*Primum*: quæcunque actio humana perfectioni infinitæ convenit immediate, ita ut perfectio



fector hæc prima tolli videatur, nisi suscipiatur actio ista eidem intimè concors, illa actio humana recte vocabitur *intrinsecè bona*. — Quodsi humana actio immediate pugnet cum perfectione divina sive infinita, erit actio ista *intrinsecè mala*, semperque declinanda, eo quod nullo fine cohonestari queat. Intrinsecè bona vel mala proinde respiciunt regulas obligatorias. — Cùm itaque actiones intrinsecè bonæ vel malæ quoque referantur ad primam infinitamque moralitatis regulam sive normam, statuendum esse patescit, eas esse bonas, quia ab hac norma præceptæ sunt; non autem præceptas, quasi ab ea præscindendo in se se bonæ essent: item eas esse intrinsecè malas, quia primæ huic regulæ repugnant, & per eam sunt prohibitæ; non autem de se prohibitæ, quia malæ essent à primæva & immobili juris naturæ regula, infinitis nempe perfectionibus præscindendo: omnis quippe moralis actio, moralitatis regulam respicere debet, & ab ea bonitatem suam aut malitiam participare.

*Secundum:* quoniam propositos à natura finis nostris sectamur actionibus recte institutis; quoniam & finis isti certos habent gradus, quorum unus celsior est altero, qui que nec universim negligendi, nec universim præscribendi sunt; hinc actiones, quae finium gradus adtingimus celsiores nobilioresque, per modum consilii & invitamenti nobis propositæ censentur, quin ad eas nos ob-

obligatio stringat. Norma actionum harum sunt regulæ suasoriæ.

*Tertium:* Ad adsequendos fines à natura propositos non præstantissima semper, nec præstantiora, sed competentia ac sufficientia tenemur adhibere media, dummodo illa sine efficacia satis, debitèque ordinata ad consecutionem finis præstituti; & inde regulæ enascuntur concessoriæ in ipsis raimen juris naturæ visceribus contentæ.

*Quartum:* Universis, id est, toti societati præceptum aliquid esse potest, quin hoc obliget singula societatis individua; eoquod finis à natura intentus nihilominus adtingatur: sic agricultura, conservatio speciei seu propagatio generis humani &c. Societatem stringit, non quodlibet individuum: Unde ratione casti cœlibatū summopere à Christo domino commendati, & à Paulo apostolo eodem corsilio inculcati, inquit *Heineccius* et si acatholicus, confrat suos in religione consortes: “Absurdum est, illos, qui castum cœlibatum præferunt matrimonio, coarctare, quod generi humano male consuulant, quasi ideo interiturum sit genus humaanum..... hi parum memores præceptorum Pauli apostoli I. Cor. VII. esse vindentur”. *Lib. 2. §. 34.* — ingenua profectò viri protestantis confessio!



## §. II.

*Vinculi naturalis notio competens.*

**N**orma moralitatis primigeniae cum sit ipsum summi Numinis imperium, sive perfectiones infinitae, ad quas humanae referuntur actiones; hinc fonte isto detecto constabilitoque, explicatius quodammodo determinandum hoc loco venit, qua ratione vinculum istud inter Deum & hominem, jura & obligationes inde resultantes commensurandae sint, atque ad debitum usum sive effectum deducendae.

Generatio juri *activo* obligatio *passiva* correspondet: est igitur res alia ligans sive *obligans*, alia ligata sive *obligata*. Per vinculum morale naturale adstringimur primo iubenti, primo obliganti in ordine ad actiones nostras summæ huic voluntati conformandas.

Imperium istud & vinculum ut sit coordinatum debite, atque propositum valeat nancisci effectum, tribus præcipuo charæctibus insignitum sit oportet: deber nempe esse I. *adcommodatum naturæ rationali*, II. *satisfactum*. III. *internum*.

Imperium, norma & vinculum actionum moralium naturalium est *adcommodatum naturæ rationali* per id, quod hæc juris, obligationis & consilii capax sit & particeps, & *præter*

præter liberam agendi vel non agendi facultatem cognitione polleat & ponderatione motivorum seu rationum ad recte debiteque agendum determinantium.

*Validum* satis & firmum, quia impressum nostris mentibus imperium Dei motiva quævis alia excludit & elidit; hæc enim universa, si cum ratione & pondere primi jubentis & cum naturali vinculo comparentur, momenti sunt ordinisque minoris, adeoque in hac collisione cedere debent bono majori & optimo. Insuper vinculum istud & imperium munitum est præmiis respectivæ ac suppliciis æternis, quæ solæ hominem in officio continere sunt natæ. Deo porro, tanquam omniscio cordium perscrutatori, ne vel minima ignota potest esse cogitatio.

Denique *internum* est; istud namque imperium connatum est nobis, & intimæ mensurativum conscientiæ. Præterea per ipsum rationis naturalis lumen præprimis nobis proponitur & promulgatur, principaliterque ordinatur ad id, ut actiones nostræ valorem habeant internum, sive pro foro interiore rectæ sint atque legitimæ. Porro fines concernentes sive hoc pertinentes adventitii non sunt; sed cum statu morali primigenio enati sunt, & præstituti creaturæ rationali, quæ utpote posita, non potuere non poni.

*Animadvertisimus* in horum consequentiam, quod ex amore Dei perfecto, videlicet ex amore



amore benevolo sine relatione ad præmitem aut supplicium, suas instituere actiones recteque componere, gradum adtingat quidem optimum & maximum; verum societatem humanam spectando universim & in cumulo, mediis quoque opus erat ei passim adtemporatis: quis enim, communiter tantâ virtutem constantiam colit, ut tot inter peccandi illecebras, in tanta naturae nostrae infirmitate fluctuatione mentis, inter acerbissimos saepe casus, gravissima incitamenta, pericula & tormenta præmemoratum non rumpat vinculum, si nullo idipsum æternæ vitæ exspectatione, suppliciique indefinientis metu præmunitum esset atque suffultum?

Rideo hoc etiam loco materialistas & atheos, qui alto supercilio se se ex eo recte agere mentiuntur, quod cuiuslibet viri sit egregii, in omnibus egregiè agere, ex eo duntaxat, quod vir sit egregius. —

Profectò, ne notionem quidem viri egregii superficialem producere quis potuerit, si ab omni naturali vinculo, à decoro & honesto nostris præcordiis ab auctore naturæ insito præscindere cum ipsis ausit. — Docet insuper experientia, grandiloquos istos ampullas & sesquipedalia verba, contra verò opera valoris nullius aut minutissimi adducere in medium, dum tam speciosa de amore hominum &c, verba faciunt.

*Animadvertisimus* denique, quod inter jura & obligationes naturae, quae actionem quandam præcipiunt necessariò, aut ad eam invitant, eamve concedunt, & inter jura & obligationes, quae actionem aliquam necessariò prohibent, memorabile & in praxi summe notabile discrimen intercedat.

Jura nimirum atque naturae leges quidquam *prohibentes necessario, negativæ vocantur*, & obligant semper pro semper, uti scholæ loquuntur: id est, nullo in casu facere licet aliquid, quod negativæ opponitur legi; quia nullo unquam tempore, nulloque motivo, titulo ac casu committenda sunt mala: malum autem id reputabitur semper, quod negativæ, seu necessariò vetanti opponitur legi. Sit pro exemplo: *non adorabis Deos alienos.*

Jura è contra & naturae leges *adfirmatiæ* vñcupantur, quæ actionem quandam ponendam esse præcipiunt; ponendam, inquam, & executioni dandam non pro omni momento, non pro omni tempore, non semper pro semper, sed juxta eventum & exigentiam circumstantiarum, loci, temporis, substratae materiæ qualitatem &c. Pro exemplo deseruiat illud: *bonora patrem & matrem*, quatenus id nempe adfirmativum est præceptum; non enim omni momento totave die officia pietatis erga parentes positiva exhibere tenemur & producere.



### §. III.

#### *Jura & obligationes omnibus connatae.*

**Q**uemadmodum *Status* aliis *naturalis* est, aliis *adventitius*; ita & jura cum obligationibus correspondentibus *naturaliae* sunt sive *connata*, aut *adventitia* sive *acquisita*. Jura *connata* recte etiam dicuntur *absoluta* sive *universalia*; & *adventitia* sunt eadem, quae *hypothetica* sive *contracta*: idem de obligationibus utriusque hujus ordinis esto *judicium*.

**J**ura *connata* & *connatae* *obligationes* cum ipsa hominis rerumque *natura* ponuntur; suisque cum adpertinentiis constituunt *hominis statum moralem primigenium*. Quamquam porro *natura* in *hominibus* eadem est specie; hinc *jura* haec, istaque *obligationes* ad omnes omnino *homines* se se extendunt: sunt proinde *universales*. Nemo *vinculum* istud *excutere* poterit, et si pruritu quovis *indumento* omnem in hunc effectum contulerit operam: *naturam* ipsam exuere non posse, idem est, ac hoc non posse excutere *vinculum*.

Miseret me hic *hominum* eorum & pseundo-philosophorum, qui *vinculum* istud negant esse *universale* etiam ex eo, quod *natura humana* non esset eadem specie in omnibus totius *humanæ societatis* individuis; impiè nimirum garriendo, non omnes ab eodem protoparate Adamo descendisse, naturamque

turāmque specie aliam reperiri in hominibus variarum procul à nobis dissitarum plagarum, aliam videlicet, quām in partibus nostris viciniorib[us]que.

Verūm, quā auctoritate portentum istud adseritur, eādem & rejicitur. — Insuper validissimae rationes putido huic commento resistunt. Et quis quæso! itinerantium suis in commentariis delineare unquam potuit atque docere, drectum à se fuisse hominem, qui animum non habuerit rationalem, simul atque *internam* corporis structuram & organizationem cum nostra per omnia coincidentem?

Hi pseudophilosophi ambulantes in altis fictitiisque sui cerebri phantasiis, si rationi ac revelationi debitum nolint deferre obsequium, saltem ad anatomiam suos submittant oculos, atque ex ea, si valeant, eliciant producātque argumentum competens & evincens prætensiæ diversitatis specificæ; inveniant & in medium adferant ex hoc capite signum validum, non omnes homines ab eodem protoparente descendere: id quod profectò nunquam præstare poterunt, etsi & ipsos consuluerint antipodes, atque ab his visum repertum petierint impensis.

Sanè, diversitas climatis mutationes possunt inducere externas; quare nigros homines habemus & albos &c.: imò sub eodem clima, ex eadem natione editos vidimus gigantes



gantes æquè ac pygmæos: de pygmæis experientia crebrior; sed & hominem gigantem ante annos haud multos peragrandem vidi-mus ipsas plagas nostras & erga certum pre-tium hominum oculis obpositum: atverò de mutatione *intrinseca* & *specifica* nullum in orbe hucusque potuit adduci exemplum. Inania igitur omniq[ue] yerisimilitudinis specie desti-tuta ea omnia sunt argumenta, quæ nova-tores isti quoad hoc consarcinarunt pro im-postura simplicium.

Inter jura igitur universalia sive connata primum locum obtinet *jus æqualitatis*; quo videlicet id omne, quod uni justum est & naturâ convenit, id & cuivis alteri, ursore ejusdem naturæ participi, eadem lege debe-tur: ubi namque est eadem ratio sufficiens, & ubi sunt eadem determinantia; ibidem & idem sit ratiocinatum, idemque determina-tum, omnino necessum est. Quoniam vide-liset æquales sumus naturâ; hinc & juribus naturalibus obligationib[us]que inæquales haud erimus.

Dubitari hoc loco potest, num inæqua-litas liberorum relatè ad parentes proprios referenda sit ad solum jus naturæ *hypotheti-cum*, veluti ad id spectat inæqualitas subdi-torum relatè ad suos legitimos præpositos; an verò ad jus naturale connatum? —

Pietatem parentibus debitam propriis, magis ob motiva varia connaturalem esse, quam

quam rationabile istud, quod subditus quilibet alter exhibere tenetur cuivis competenti superiori obsequium, omnino tenendum; status enim parentalis etsi *in se* adventitius sit, id est naturae superadditus sive hypotheticus, comparatus tamen ad suos descendentes vel maximè immediatores, subjectionis connatae rationem continet, unde illud: honora patrem &c. est juris naturae stricti. Quare etsi subordinationes reliquæ inter homines non excedant naturalem obligationem hypotheticam, ea tamen, quæ prolium est ad suos progenitores connata rectè vocatur; imò ab hac subordinationes reliquæ occasionem traxisse videntur & ortum. — Patet ex his, primigeniam hominum æqualitatem generatim quoad jura, obligationes, officia & fines universales sive absolutos rejici non posse: quoad hæc enim singula omnibus æqualiter concessa & præstituta, manet determinans idem & determinatum: aliud est de subordinatione naturali liberorum ad parentes, ubi ex fonte juris naturalis absoluti determinans est aliud, proin & aliud determinatum.

Ad jura connata maximè etiam pertinet *jus conservandi seipsum*, suumque perficiendi statum, justisque modis ea *acquirendi*, quæ ad hunc finem necessaria sunt & adtemperata: nam *jus ad finem*, tribuit quoque *jus ad media*: ad media, inquam, adtemperata, justa, licta, honesta, nemini præjudiciosa &c. Summa quippe ratio, sapientia nimirum infinita naturæ



turæ rationali non nisi rectissimos præstituit  
fines; proinde etiam non alia, quām rectis-  
sima ad finiūm horum consecutionem con-  
cessit & ordinavit media, quæ proin non ex  
nostro solo judicio, arbitrio, utilitate, cupi-  
ditate &c. mensuranda sunt & adplicanda.

Palmariter igitur hīc denuo hallucinatus  
est Hobbesius, sequacibus suis dictitando ne-  
fanda principia isthæc;

“ Natura dedit unicuique jus in omnia....  
“ sequitur, omnia habere & facere in statu  
“ naturæ omnibus licere. „ De cive. Cap. I.  
§. 10. — Item: “ unicuique jus est se con-  
“ servandi: eidem ergo jus est omnibus uti  
“ mediis ad eum finem necessariis, Media  
“ autem necessaria sunt, quæ ipse talia ju-  
“ dicabit; eidem ergo jus est omnia facere  
“ & possidere, quæ ipse ad sui conservatio-  
“ nem necessaria esse judicabit: ipsius ergo  
“ facientis judicio id, quod sit, jure sit vel  
“ injuriā. „ Ibidem, Notā in §. 10. — ulte-  
rius: “ Ex quo etiam intelligitur, in statu  
“ naturali mensuram juris esse utilitatem. ”  
ibid §. 10. 11. &c. — Tandem post adser-  
tum in statu naturali bellum omnium in om-  
nes concludit: “ Jus omne imperandi.... in  
“ viribus & potentia, seu potius in præpo-  
“ tentia collocatur. „

Verūm, quò isthæc colliment portenta,  
quāmque sint absonta, insufficientia, nociva,  
abundē

abundè patescit ex principiis nostris generalibus ac particularibus hucusque stabilitis. Conatus est Hobbes naturale jus omne, omnésque obligationes naturales è prima evelere radice, atque ex iniquo hoc principio, *stat pro ratione voluntas*, evolvere, dictorūque loco jurium & obligationum naturalium substituere *præpotentiam* merè coactivam & externam &c. ast hanc minimè sufficientem esse ac competentem ad homines in officio reipsa & per omnia continendos, eandémque bono societatis privato & publico officere, nemo non intelligit. Sanè, ipsus mei Voltaire fateri tenetur, quod " religio occultis, res publica verò publicis tantum queat invigilare facinoribus & delictis. „ *Tr. de la tolerance, Chap. 20.*

Jus porro conservandi seipsum propriamque quærendi & obtinendi utilitatem tale nec est nec tantum, ut nulli possit debeatur que cedere bono jurique majori & altiori, si cum eo collidatur. — Impiè etiam statuit Hobbes, & infert: " quòd in tanto & mutuo hominum metu (*ob bellum omnium in omnibus*) securitatis viam meliorem haberet nempe *anticipatione*; nempe ut unusquisque vi & dolo cœteros omnes tamdiu sibi subjicere conetur, quamdiu alios esse, à quibus sibi cavendum est, viderit. „ *Leviath. Cap. XIII.*

Quanta, quæso! solicitude, quantique conatus dolosi æquè ac violenti pro conservatione

vatione suūipius, commodique temporalis proprii! verūm, mirari id quodammodo ces-  
tabimus, dum recogitaverimus, quòd homi-  
nes isti summum hominis bonum statuant  
atque requirant in homine ipso, in conser-  
vationē suūipius, in deliciis sensuum; plus  
quām stolidē nullum aliud bonum post sub-  
latum bonum exiguum umbratilis hujus vitæ  
exspectando, malum aliud nullum metuendo  
saltem ad speciem; et si revera in cordibus  
suis futurorum metu crucientur.

Hoc igitur bonum finitum & fluxum ut  
conservent, omnia tibi licita esse dicitant;  
& sic finitum æque ac infinitum bonum amit-  
tunt infausti hi pugiles in bello omnium con-  
tra omnes. Attamen, quemadmodum Hobbe-  
sius phalangis hujus non ultimus, ita nec  
primus digladiator extitit; antesignanos enim  
ejus jam dudum decorticatos videmus, masti-  
catos & conquassatos *in libro sap.* Cap. 2do.  
quod caput integrum relegi meretur, & in  
cujus V. II. referuntur impii isti dicentes:  
“ sit autem fortitudo nostra *lex justitiae*; quod  
“ enim infirmum est, inutile invenitur.”

Quoniam porro ad vitæ, membroruni,  
famæ, honorūmque fortunæ justè acquisito-  
rum conservationem, & culturam debitum  
intervenit usus, per se sequitur, quod  
jus acquisitionis, conservationis ac perfectio-  
nis excipiat *jus utendi* rebus creatis in fines  
à natura propositos, eique per omnia con-  
formes;

formes: *jus insuper res concernentes apprehendendi, occupandi, possidendi, proprias efficiendi &c.*

*Circa jus utendi rebus hoc loco notandum, quod is, qui suo utitur jure, non illico recte semper & licite per hoc ipsum agere censendus sit: nam ad perfectam actionis honestatem plura desiderantur, quam ut quis nudo gaudeat agendi jure. Aliud igitur est *jus ipsum ponendi actionem*, & aliud est *rectus usus juris*, seu *aetio recte posita*.*

Tametsi quis ergo vi dominii participati disponere de re sua possit, illud eo tamen intelligendum est sensu, quod disponere de ea possit non in usum quemlibet arbitrarium, sed duntaxat in usum naturae finibus consentaneum, & immobili regulae dominii im- participati adtemperatum.

Profecto in *jus naturae peccaret is omnis*, qui pro solo dominii & arbitrii exercitio, aliove fine haud recto, adeoque sine competente & saltem concedente juris naturalis regula, res suas aut petulanter destrueret, aut prodigè dilapidaret, aut in perniciem damnabilèmque expenderet luxum &c. — Dominia rerum *participata* sunt, atque ab auctore naturae in nos derivata; *consecutari*um proinde est, quod non nisi *juxta sapientissimum ejus consilium usurpanda sint & practicè exercenda*.



Progredimur à jure acquisitionis, conseruationis, usūs &c., ad *jus securitatis*; quisquis enim juribus gaudet jam memoratis, gaudet eo ipsò pariter jure ponendi eorum objecta in statum securitatis, eā videlicet ratione, ut competentia valeat impendere administrationis mediaque, per quae res sua sit immunis ab invasione aliorum & læsione: *jus nempe* habet, ne lædatur ab altero, ne alter in sua involet jura; & huic juri securitatis activo correspondet ex parte cujuslibet obligatio passiva, *jus alienum* haud turbandi.

Jure igitur resistitur universis in *jus meum* involantibus & quaqua ratione invadentibus id ipsum ac turbantibus; talis autem resistentia debitissima conditionibus *jus defensionis* nuncupatur. — Defensio hæc aut *via juris*, aut *via facti* locum habere potest, videlicet pro exigentia circumstantiarum. Cessat in statu civili *jus armatum*, seu via facti in ordine ad *jus suum extorquendum*, transitque *jus istud privatum physicae coactionis ad adiutorium*, sive ad forum competens; quapropter leges censent vim illam injustam, dum quis id, quod sibi deberi judicat, non reposcit per judicem. Rectissime profectò privata cessaunt & silent arma, ubi bonæ leges dirigunt atque loquuntur.

Veruntamen defensio aliter fieri quandoque nequit, quam ut lædenti vis inferatur physica per *viam facti*, sicque cogatur ipse ab

ab *injuria* desistere. — Quodsi igitur ad repellendam vim iustam non alia pateat via, sitque extremum in mora periculum, obtinebit vulgatum istud: *Vim vi repellere licet.* Quocirca tamen bene notandum, quod in talibus eventibus semper debeamus utri *moderamine inculpatæ tutelæ*; id est, defensionem meam non nisi mediis competentibus & ad propositum effectum necessariis suscipere possum atque perficere; minimè vero mediis impertinentibus, infligendo videlicet mala pro hoc casu non necessaria in ordine ad averendum malum intenratum. Unde, si quis iustum ad aggressorem vitae mutilando repellere posset, aut aliorum invocando auxilium, illicitè eum occideret; jus enim *necessitatis activæ* limites *necessitatis passivæ* transcendere nequit.

Quæri hoc loco potest, an jus propriam vitam conservandi pertineat ad regulam *confessoriam*, proin interveniente v. g. titulo quodam charitatis relatè ad statum invasoris iusti me non obliget; num vero jus illud spectet ad regulam *obligatoriam*? — Quod in concursu ac collisione amittendæ aut veræ virtutis aut propriæ vitae, teneat vitae præferre virtutem v. g. religionem, confessum est apud omnes rectè sentientes; proinde in conflictu hujus ordinis, non currit regula obligatoria vitae conservandæ, quin potius eam profundendi.

Igitur status quæstionis nostræ potissimum in eo est, utrum ab iusto aggressore vitae im-

impetus quis & invasus, ex altiore charitatis titulo desistere nequeat à resistentia, sicque suam non coactus possit exponere & perdere vitam, ne invasorem injustum occidere teneatur, eò quod non suppetat medium aliud vitam suam conservandi, quām per realem invasoris hujus injusti occisionem?

Suppono hic generatim, quod vir quilibet bonus & honestus societati humanæ utilis sit & optabilis. Porro in casu præmorumato superior vitam suam conservare tenetur etiam propter bonum subditorum, parentifamilias ob bonum familiæ &c.: quare ergo non vir bonus ob societatem, cuius membrum est perutile? — Deinde jus vitam conservandi propriam tributum est nobis & concreditum à Deo, tanquam administratoribus ejus aut depositariis; non enim nos, sed Deus vitæ nostræ dominus est: proinde juxta voluntatem ejus conservanda erit, non autem nostro pro iudicio & arbitrio. — Insuper, si homo justus relatè ad invasorem vitæ suæ injustum à medio justæ defensionis desistere vellet, ne injustus adgressor periret temporaliter & æternaliter, ampliari posset periculum communius honestos invadendi probosque, utpote de quibus facilius sperari posset neglectus resistentiæ ex motivo singularis charitatis. — Ob hæc igitur resolvi posse videtur, Dei voluntatem quoad conservationem vitæ propriæ nobis ab eo creditæ obligatoriam esse etiam pro casu su-

*pra memorato.* — Et quis in tali constitutus  
extremo vitæ discriminè instinctum non sen-  
tit stimulūmque validissimè ab ripientem ten-  
tandi extrema?

*Jus necessitatis* non solum ex iusta alio-  
rum adgredione, sed & ab aliis variis casi-  
bus & eventibus calamitosis, veluti à nau-  
fragio, incendio, aquarum inundatione, ino-  
pia annonæ &c. provenire potest & enasci.—  
His igitur in eventibus pro rata circumstan-  
tiarum & objectorum currit obligatio sal-  
vandi seipsum, proximum, fortunæ bona-  
spectandus nimirum est ordo bonorum in  
communi periculo constitutorum.

Sic vita propria in æquali periculo præ-  
ferenda est vitæ proximi; vita proximi præ-  
ferenda est, etiam nostris fortunæ bonis; bo-  
na fortunæ nostra bonis fortunæ proximi  
anteferuntur &c. — Patet igitur, quòd vita  
sit anteferenda bonis fortunæ; est enim or-  
dinis præstantioris: unde si quis constitutus  
sit in extrema necessitate conservandæ vitæ  
ob inopiam annonæ, jus, quod ante hanc  
necessitatem erat duntaxat imperfectum, tran-  
sit in perfectum relatè ad alterius bona in-  
effectum tollendæ necessitatis extremæ requi-  
sita & necessaria: potest ergo in hac neces-  
itate constitutus bona hæc justè apprehen-  
dere sibique impendere; ubi & resultat ex  
parte alterius obligatio perfecta non resisten-  
di, seu jus illud extremè indigentis non tur-  
bandi.



## §. IV.

*De juribus & obligationibus hypotheticis.*

**D**iscussis juribus & obligationibus *absolutis* sive *connatis*, jura & obligationes *hypotheticalis* sive *acquisitas* expendimus, ea nempe jura illasque obligationes, quae ex statibus proficiuntur adventitiis, quæque proinde constituant hominis statum moralem *acquisitum*, prout is à statu ejus morali *naturali* contradistinguitur: *hypothetica* namque ea hoc loco jura vocamus & obligationes contractas, quae ex supposito facti cujusdam proprii aut alieni, aut ex varietate rei, loci, vel temporis enascuntur.

Quatuor præcipiūd classes & fontes iurium & obligationum hypotheticarum constituuntur; videlicet, I. Adjuncta seu circumstantiæ actionum \*, II. Pacta, seu conventiones \*\*, III. sublata rerum primæva communio per divisionem bonorum \*\*\*, IV. Status sociales \*\*\*\*.

\* Potest itaque actio quædam considerari vel secundum seipsum duntaxat, vel etiam secundum sua connotata sive adjuncta, utpote per quæ materia juris alia sit atque alia, ita, ut eodem amplius jure censeri nequeat; circumstantiæ enim mutant casum saepius atque judicium: unde, etsi occidere auctoritate privata hominem prohibitum sit ipso

ipso etiam jure *absoluto* sive *connato*; licitum nihilominus evadere potest propter adjuncta actionis jure *hypothetico*, supposito nimis, quod iniquum vitae meae insidiatorem aliter repellere nequeam. — Et econtra contingere potest & emergere, quod id, quod aliunde honestum est & justum, ob mutatas circumstantias inhonestum fiat & injustum: sic reddere unicuique, quod suum est, justum est & honestum; atvero si reddam in tempore, loco, aut circumstantiis incompetentibus, vel ubi alter re illa cum injuria tertii abutetur, redditio minus honesta foret aut iniqua; unde inquit Cicero: “ Multa, quæ natura honesta videntur, temporibus fiunt non honesta.” *Lib. III. offic.* — Profecto, responcenti suum reddere depositum, si generatim rem spectes, juris est etiam naturalis; at, si quis integræ adhuc rationis arma apud te deposuerit, eademque repetat, dum mentis est impos aut furiosus, reddere delictum erit, & non reddere officium hypotheticum ob mutata rei adjuncta.

\*\* Porro ob inita *pacta* jus contrahitur novum, novæque suscipiuntur obligationes. Jus pacisciendi seu ineundi pacta, te seque mutuò constringendi, connatum est & absolum, contineturque in jure se conservandi, suumque perficiendi statum; id verò, quod ex pacto, conventione, promissione acceptata &c. jus oritur cum obligatione respondentem, est *hypotheticum*: quare pacta, quæ antea erant voluntas



voluntatis, id est, quæ iniri poterant libere aut omitti, postea fiunt necessitatis; inducunt nempe obligationem præstandi id, quocirca conventum est, aut data fides.

\*\*\* Insuper jura & obligationes hypotheticæ diffluunt plurimæ ex sublata primæva communione bonorum, & substituta rerum divisione indeque introducto earum dominio — Rerum igitur communio primæva refertur ad hominis statum primigenium, & divisio adventitium respicit statum: quocirca ait Zallinger: “ Spectato primigenio statu hominis, ac secluso adventitio, verum communio cogitari debet, quæ rationem sufficientem in natura ac finibus hominis rûmque habet. Ea autem communio negotiata est; nam quia omnibus jus competit utendi rebus in medio positis, intelligitur, res esse omnium sive communes: quia verò nemo, antequam res apprehendat atque occupet cum animo easdem sibi habendi, dicere potest: hæc res est mea; illa est tua; idcirco etiam intelligitur, eas esse nullius. Sunt ergo res communes relativæ ad jus eas apprehendendi atque occupandi sunt nullius relativæ ad occupationem & ordinam inde proprietatem. Ac communio primæva rectè definitur jus connatum apprehendendi res nullius vi libertatis naturalis singulis in solidum competens. Cap. XIV. §. CIX.

Discéndendi à communione primæva, &  
 verum inducendi dominia, non una potest  
 adsignari ratio; aucto enim hominum nu-  
 mero, ea, quæ sponte nascuntur, minimè  
 poterant sufficere ad victum, vestitum, ha-  
 bitationem aliásque indigentias & necessitates;  
 sed opus erat culturâ assiduâ, magnóque ac  
 bene partito labore, ut res usui aptarentur  
 competenti, cunctisque sufficerent in usus  
 præmemoratos. — Insuper quæ pax & tran-  
 quillitas, quæ justitia & subordinatio, quæ  
 industria rite repartita locum haberet, si res  
 labore partæ ab aliquibus, aut non curatæ  
 ab aliis in communione remanerent? Nonne  
 permulti torperent otio, iidemque præ aliis  
 vivere delicatius fortè optarent atque con-  
 niterentur? — unde rectè notatur in jure  
 naturale vitium est negligi, quod commu-  
 niter possidetur; utque se nihil habere,  
 qui non totum habet, arbitretur: denique  
 suam quoque partem corrupti patiatur,  
 dum invidet alienæ. „ *L. meminimus* 2. *C.*  
*quando & quibus parta pars.* — Et pro causa  
 præcipua adsignatur motivum, ut arceantur  
 discordiæ & rixæ, “ quæ in re communi  
 immensæ oriuntur „, *L. in re communi* 26.  
*D. de servit. præd. urban.* — Quoad rem præ-  
 sentem rectè tamen advertit & inquit *Puf-*  
*fendorffius*: “ Nequaquam autem ideo res  
 sunt distinctæ, ne quis per eas aliis inser-  
 viret, & ut divitiis repertis solus incuba-  
 ret .... Inde post proprietatem rerum in-  
 tractam data est facultas hominibus non  
 tan-



“ tantum commercia insigni cum utilitate  
“ generis humani exercendi, sed & materiâ  
“ partâ humanitatem & beneficentiam erga  
“ alios uberius expromendi, cum antea ope-  
“ ra tantum ac labore liceret inservire ”  
*de J. N. & G. L. II. C. VI. §. 5.*

\*\*\*\* Denique ē *statibus socialibus*, sive ex initis societatibus jura sequuntur & obligations naturales *hypotheticæ*: quippe eoipso, quo quis societas legalis recteque ordinata membrum efficitur, obligationem contrahit leges sanctionesque societatis illius observandi, siveque particeps concernentium societatis jurium. Veri christiani, boni civis &c. officia præstare tenetur. quisquis inter ecclesiæ aut reipublicæ membra jure numeratur: nam alia præcepta, alia vetita solo eo posito statu intelliguntur, quin singulari lege sit opus.

Deducitur ex his, quod status socialis, ex quo jura nascuntur & obligationes, talis debeat esse ordinis, ut potestate gaudeat ac jure socios re ipsa obligandi aut per se, aut per respectum autoritatis altioris in societatem influentis; quodque rationalis naturæ finibus consentaneus esse debeat & per omnian adtemperatus, & sic nulli statui aut imperio alteri possit esse præjudiciosus. — Ex quo per se ac manifestè consequitur, quid sentiendum sit de societatibus illis particularibus & clanculariis, quæ autoritate legitima socios seu membra obligandi destitutæ sunt;

sunt, & nihilominus, non sine imperantium aliorumque præjudicio, potestatem quasi legislativam sibi arrogare frivolè præsumunt.

### §. V.

*Discutiuntur jura perfecta & imperfecta  
cum correspondentibus obligationibus &  
officiis.*

**I**differentia inter jura & obligationes naturales *perfectas* relatè ad eas, quæ *imperfectæ* nuncupantur, generatim figitur in eo, quòd ad præstanda officia jurium & obligationum naturalium *perfectorum compelli* possit etiam *invitus*; contra verò, etsi ad præstationem officiorum profluentium è juribus & obligationibus *imperfectis* quis *teneatur* ex naturali æquitate, charitate &c., ad eam tamen præstationem *cogi nequeat reluctans*.

Hoc igitur sensu officiorum *perfectorum* & *imperfectorum* quædam est differentia tam ratione præstantis, utpote qui ex parte *perfectorum compelli*, & ex parte *imperfectorum invitus compelli* non potest; quam ratione illius, cui officia hæc præstanda veniunt; is namque ad officia primi generis jus habet compulsivum, non item ad officia generis secundi.

Animadvertendum intuitu *perfectorum* jurium & obligationum naturalium *perfectarum*, quod jure naturalis libertatis, veluti & jure con-



conservandi perficiendique statum suum, actionum suarum quis & earum etiam rerum, quas justo titulo *suas* vocat, sit dominus rationabilis & arbiter; quodque proinde pati non teneatur, ut aliis in rem suam involet, eam violet, minuat, deteriorem in statum conjiciat, aut rectum illius impedit usum: unde quivis jure gaudet stricto & perfecto resistendi violationi cuicunque, involantemque cogendi, ut & à juris hujus violatione desistat, & jus violatum resarciat; secus enim infirma essent naturæ jura, & effræni alieno arbitrio per se se exposita.

Paucis: jura perfecta & reciprocæ obligationes perfectæ hunc sortiuntur effectum, ut id, quod mihi eorum intuitu competit sive in genere jurium, famæ, actionumque mearum, sive in genere jurisdictionis legitimè acquisitæ, sive quoad bona fortunæ, quæ justo titulo sunt mea, in vim juris naturæ defendere valeam contra quoscunque, ereptumque vindicare; quodque reciprocè ex parte cuiuslibet obligatio vigeat naturalis & perfecta, singula isthæc relinquendi intacta, & ex nullo fucato quæsitöve titulo è justo statu possessionis aut dominii me deturbandi aut ejiciendi, etsi etiam status ille possessio-  
nis primigenius non sit, sed hypotheticus, seu tractu temporis legitimè acquisitus. — Aggerem hunc nisi ipsum jus naturæ ele-  
vasset & obvallasset, nemo certè in possessio-  
nibus suis utcunque longævis ac justis se-  
curus

curus amplius esset contra avidos mortalium  
ausus irruptionésque præpotentes.

De juribus & obligationibus *imperfectis*  
speciatim animadvertendum, quod, quia in  
vīm juris naturæ cuilibet competit suipius  
conservatio, ac perfeccio sui statūs, hinc &  
jure gaudeat ea adhibendi media, quæ ad  
hujus finis consecutionem apta sunt & com-  
petentia. Profectò natura alteri in alterum  
multa vitæ præsidia constituit atque subsidia,  
eoquod singuli ad tollendas ē medio proprias  
omnes indigentias sibi passim haud sufficere  
dignoscantur: quapropter cuilibet à naturæ  
auctore tributum est jus, implorandi aliorum  
præsidium, auxilium & operam; cui proin-  
de implorationis juri, naturalis correspondet  
obligatio id non turbandi, aut non impe-  
diendi implorationem.

Quæritur nunc, utrum quoque vi jūris  
naturalis stringat obligatio perito deferendi,  
seu præstandi imploratum? — obligatio dif-  
fluere potest aut ex fonte strictæ justitiæ,  
aut ex solo fonte charitatis, æQUITATIS &c. —  
Compelli vi justitiæ nemo potest ad præstatio-  
nem implorati æqui adhibitā vi in ordine ad  
extorquendum ab invito; quia ea est *liber-  
tatis naturalis* indoles & ratio, ut cogi nemo  
possit ad impendendum alteri præsidium, ad  
operam meam ei elocandam &c. — Quodsi  
tamen implorans verè indigeat re postulata,  
atque ex parte implorati omnigena subicit  
præ-



præstanti facultas, tenebitur is ex æquitate, charitate &c., id est, in vim *obligationis imperfectæ* suffulcire ac sublevare alterius sive implorantis *jus imperfectum*. — Sanè, si fas esset & proclive cuivis, in alterius actiones vi juris naturæ sibi adrogare imperium, eumque re sua unà & libertate privare, mendicitas in latrociniū transfunderetur, hominūque desidia nutrimentum haberent perpetuum, toti societati præjudiciorum. Et ex alia parte præpotentiores ex aliis hominibus naturali libertate æquè ac ipsi gaudentibus mancipia facerent, si auxilium operamque vi ab eis extorquere auderent.

Jus porro aliud dicitur *internum*, aliud *externum*. Jus internum quoad præsens rectè illud nuncupatur, cujus usus non tam coram externo, quam coram interno judice Deo, cordium scrutatore, propriæque conscientiæ tribunali impunitatem habet ex eo, quod sæpe memoratis naturalis moralitatis regulis & finibus sit consentaneum. — Jus externum illud vocant, cujus usus à legibus humanis non vindicatur, sed dissimulatur, dum leges humanæ actionum externalium nexum cum internis non dimetiuntur, videlicet de internis non judicando. — Jus istud hoc spectatum sensu ad jus naturæ in rigore non pertinet, ex eo deducitur, quod omnes humanæ actiones moraliter bonæ sint aut mala, proinde referri debeant ad internas regulas vel obligatorias, vel suasorias, vel concessorias:

cessorias: unde & Cicero vidit, quid ob eam causam inter humanas ac naturales leges intersit, dixitque: "aliter leges (*humanae*) aliter philosophi (*tractantes jura naturae*) tollunt astutias. Leges, quatenus manutene res possunt: philosophi, quatenus ratione & intelligentia ,,, Lib. III. offic. — Et Seneca exclamat: "quām angusta innocentia est, ad legem bonum esse! quanto latius officiorum, quām juris regula patet! quām multa, pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides, exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt?,, Lib. II. N. XXVIII. *de ira*.

Variis nunc determinatis jurium speciebus, dicendum nonnihil restat de *injuria* & *damno* — Injuria latissimè sumta id omne censetur, quod fit jure in se non suffragante, et si quis animum nocendi non habeat. Minus latè, est violatio juris imperfecti. Propriè & pressius est violatio juris perfecti; tunc videlicet, quando quis malitiosè invadit bonum vitæ, membrorum, famæ, jurium ac bonorum spiritualium & fortunæ. Quemadmodum igitur perfecta est obligatio jus alterius perfectum haud violandi; ita & correspondet obligatio perfecta ab injuria defendendi, & læsum reparandi jus & bonum, quo sensu restitutio intelligitur.

Damnum proinde quis incurrisse intellegitur, dum per violationem alterius jam minus habet *de suo*, quām habuit ante, aut nunc



nunc habere posset ac deberet: idquod si per actionem alterius *malitiosam* illatum fuerit damnum, tunc, quia damnum sine interpolatione continuatur, & injuria singulis veluti momentis renovatur, usque dum singula restituantur in statum pristinum; hinc juris perfecti est exigere reparationem injuriæ dannique causati, & ex parte alterius resultat obligatio perfecta damnum & injuriam proximis reparandi.

Officia imperfetta transeunt in perfecta, dum objecta regularum suasoriarum & cessoriarum aut per statum contractum seu adventium aut per initam societatem, aut per pacta explicita, vel tacita, aut per justas imperantium leges regulis obligatoriis hypotheticis subjiciuntur. Sic v. g. societatem ineundo minorem majoremve, quæ locius multa praestare teneor ex obligatione perfecta, quæ ante non nisi ex obligatione imperfecta, me concernebant.

Pro fine adhuc notandam, quod intercedat distinctio inter jura, quæ alienari possunt, aut quibus pro nudo arbitrio renunciare quis potest; & inter ea, quæ pro libitu privato transferri in aliud nequeunt aut remitti, quibusve renunciari nequit; quæ proinde officio, statui aut persona adhaerescunt indivulsi. — Sic v. g. clericus renunciare nequit immunitati toti statui concessæ. C. si diligenti. 12. & C. significasti. 18. de foro  
com:


*Competente.* — Neque imperans privatim renunciare potest iis, quæ suo nixa sunt im-  
perio, quæque communi ac legitimo con-  
fensu ad illud sunt devoluta: profectò, per  
*quas causas res nascitur, per has & dissolvitur* —  
Illud ergo vulgatum: *quilibet potest renunciare*  
*juri suo, in multis quidem obtinet, non item*  
*in omnibus: unde & persona publica officii*  
*suscepti jura & primigenia, & legitimè ac-  
quisita sarta recta conservare tenetur adver-  
sus quemcunque, & sic muneris suscepti fi-  
deliter & strenuè adimplere officia.*

## § VI.

### *De imputabilitate.*

**A**d rationem moralitatis completæ non sufficere, quod actio penes scipsum consideretur, sed requiri insuper, ut ponderetur tum juxta circumstantias sive adjuncta, tum circa operantis finem seu animi propositum, deducitur ex prioribus. — Quæritur nunc, quā ratione actio quedam ejusque consecutiones moraliter alicui valeat impurari? — Quocirca præviè notandum, imputationem hanc referri posse vel ad actiones proprias earumque consecutiones, vel ad alienas; quidquid enim quis per alium facit, per seipsum fecisse censetur.

*Imputare igitur nihil est aliud, quam ad-  
scribere alicui causam & effectum cuiusdam  
actio-*




actionis, sive consecutiones ejus & consecutaria. — Porro imputatio duabus constat partibus; videlicet imputatione *facti*, dum quis declaratur cuiusdam actionis auctor; & imputatio *juris*, dum actionis consecutaria ad alterum referuntur eique adsignantur; quisquis enim particeps est actionis, cum qua certas nexas esse consecutiones ignorare nec potuit nec debuit, in has ipsas consensisse reputatur. — In omni igitur foro imputatio *facti* propria est *auctoris*, & imputatio *juris* est propria *judicis*; & ille, in quem utraque haec imputatio dirigitur, reus *nuncupatur*. — Quod si imputatio completere sumatur, revocetur que ad vim cogitandi naturalem, ratiocinatione debet constare tali, in qua præmittitur & lex, & legis sequelæ; v. g. *Qui fratrem occidit, reus est mortis*: in qua deinde ponitur factum; atqui *Cain occidit fratrem*: & in qua demum sub ratione conclusionis imputatio juris sive sententia enunciatur dicendo: ergo *Cain reus est mortis*.

Imputatio juris fieri nequit sine imputatione *facti*, & imputatio *facti* locum non habet competentem, nisi actio fuerit liberata in potestate agentis, ita nimirum, ut is potuerit non agere. — Cum igitur liberum seu voluntarium id nuncupetur, quod procedit à voluntate cum prævia cognitione ex parte intellectus, juxta vulgatum illud: *nihil est volitum, quin fuerit præcognitum*; hinc imputabile nihil est, nisi præsuppositis cognitione

tiōne & electione. — Quoniam porro cognitioni opponitur *ignorantia*, & cum voluntatis electione ac determinazione nexum habent *vis* ac *metus*; idcirco & hæc spectanda sunt, ut uberior patescat, quid imputabile sit & quoque.


Itaque cognitioni ad agendum necessariæ opponitur ignorantia & error. Rem ignoramus, dum omnino nihil illius nobis intentem venit, quando agimus; & errare quoad hoc dicimur, dum laboramus opinione plane contrariâ & falsâ. Decidendum igitur hoc loco breviter, quomodo ignorantia & error in humanas actiones influant.

Ignorantia & error sunt causa actionis, si iis submotis sive sepositis non fieret actio; & tunc ignorantia vel error vocatur *antecedens* sive efficax. — Quodsi errans aut ignorans ita operetur, ut errore etiam detecto, veritateque comperta, ageret nihilominus, dicitur error vel ignorantia *concomitans*: actio nempe fieri tunc dicitur non *ex* errore, sed *cum* errore aut ignorantia, sive *ab* errante vel ignorantie. — Denique error aut ignorantia est *subsequens*, quæ nimur sequitur actionem, non eam quidem, quæ cum hac ignorantia ponitur, sed aliam præcedentem actionem, ex qua hæc ignorantia sequitur: ut si quis librum, in quo divinæ aut humanæ continentur leges, projiciat in ignem, ne eum legendo deveniat in cognitionem eorum,



rum, quæ agenda sunt aut omittenda.  
Siquis requisitis mediis omnibus adhibiti ignorantiam cavere aut deponere non potest, dicitur ignorantia *invincibilis*, & hæc culpâ vacat: sin vere præcaveri potuerit aut deponi, *vincibilis* nuncupatur, & ignorantia imputatur ad culpam. — Sicut ergo actio ex ignorantia invincibili posita non imputatur bene tamen ea, quæ proficiuntur ex ignorantia vincibili; ita & ignorantia & error antecedens immunis est ab imputatione morali, minimè verò ignorantia concomitans & subsequens. — Vincibilis ignorantia secernitur in *adfectatam*, dum quis id, quod inter est scire vel nosse, ex industria negligit aut evitat; & in crassam sive *supinam*, quando aut penitus nulla, aut ferme nulla adhibetur opera, in ordine ad deveniendum in notitiam eorum, quæ nosse quis & potest & debet. — Porro, qui notitia caret, qua nec potest, nec debet esse imbutus, uti infantes & amen tes, dicitur laborare ignorantia *negationis*; quodsi verò rem quis nosse possit & debeat, ignorantiam *privationis* habere dicitur. — Ignorantia etiam est alia *juris*, si nempe ipsam quis ignoret legem, v. g. quod nefas sit conjugem ducere alienam; & alia *facti*, si quis ignoret, hoc vel illud factum particulare sub lege comprehendi, v. g. eam, quain quis dicit, esse conjugem alienam. — Icti romani titulo peculiari agunt de ignorantia *juris* & *facti*, quomodo nempe aut factum cum suis adjunctis, aut quid in radice sit obligationis &

& honestatis quis ignorat. Ignorantiam juris  
 positivi, insuper & facti inter homines facile  
 obtainere compertum est; horum enim no-  
 titia non ex interna vi ratiocinandi postula-  
 tur, sed acquiritur institutione externa: ig-  
 norantia juris naturae qua ratione locum ha-  
 bere possit, diximus §. VIII. pag. 34. & 35.  
 — circa rem hanc *Heineccius* in sequentem  
 loquitur modum: “Facti circumstantia &  
 “prudentissimos fugere, ac proinde error  
 “hujusmodi inculpabilis, invincibilis, invo-  
 “luntarius esse potest: error vero juris in  
 “jure naturali admissus, non excusat, quia  
 “hoc jus unicuique per rectam rationem  
 “est promulgatum, nisi forte aetas, stupiditi-  
 “tas, ipsiusque juris illius ratio paulo sub-  
 “tilior, mitiorem sententiam suadeat: quod  
 “vero ad jus civile adtinet, illius ignorantia  
 “eatenus meritò imputatur, quatenus illud  
 “& promulgatum est, & ita comparatum,  
 “ut in hominem hunc cadat ejus scientia.”  
 Lib. I. J. N. & G. §. CVIII. — Verum  
 quoque jus naturae promulgatum sit sive  
 per rectam rationem, ceu principium indi-  
 cativum internum, sive per complura alia  
 principia indicativa externa, facile colligitur.  
 ex hucusque actitatis, ex quibus & confici-  
 tur, ignorantiam juris relatè ad jus naturale  
 quoad varios excusabilem esse, iisque non  
 imputari. — Circa ignorationem juris relatè  
 ad causam veræ religionis inquit *Zallinger*:  
 “Cum divino ore prolata sit gravis illa sen-  
 tentia: qui non crediderit, condemnabitur”



“*Marci XVI. v. 6.* nequit ignorantia invincibilis facile præsumi eorum, qui in falsis sectis computrescunt, veritate catholica ex omni parte circumlucente „. Lib. I. N. p. §. XXXI.— Quid denique sit *voluntarium*, per se consequitur ex momentis hucusque expensis; quocirca tamen notandum aliud esse tale vel *in se*, vel *in sua causa*. Cui voluntaria est causa, eidem & imputatur causatum, etsi idipsum pro eo instanti non cognoscatur, nec eligatur cum actuali advertentia & arbitrio: tenet ergo hoc loco illud: *qui est causa causæ, est & causa causati*.

*Coactio seu vis à ICto Paulo L. vis auctem 2. D. quod metus causa gestum erit*, dicitur majoris rei impetus, qui repelli non potest. Extrinsicus ergo provenit; sique is, quem patitur, reluctetur pro viribus, corpore nimimum & animo, imputari non potest id, quod vi gestum, aut potius extortum est: unde *S. Lucia V. M. Paschasio tyranno respondisse legitur*: “*Si invitam jusserris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam,*”

Vis itaque in mentem non cadit, neque in actus internos: fieri quippe nequit, quis nolens velit, aut volens nolit, quo sensu libertas nostra vocatur intrinsicamenti. Mens igitur libera est à coactione, tam circa actus internos, quam imperatos.

Sed & est *coactio quedam minus proprietas* cuius quis tormentis adigitur ac cruciatur, *bus*

bus ad sceleris confessionem, aut etiam ad religionem sive fidem ejurandam. — Intuitu confitendi sceleris commissi hoc maximè principio niti conantur, qui abrogatas gestiunt judicum certi generis quæstiones; quâ & voce intelligi possunt tormenta, corporique inflicti dolores ad eruendam veritatem. *L.* item apud 15. §. 41. *D. de injuriis.* Sic enim argumentari adsolent ex *L. in criminibus* 1. §. 23. *D. de quæstion. &c.* “Res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat: nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita momenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tantum sunt impatiens, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta (torturam) velint „ Nimirum in complexu dicunt, mentietur, qui ferre potuerit; mentietur, qui non potuerit. — Verum, quem reipsa hæc differendi ratio pro securitate communi ac bono publico sortiatur effectum, judicibus relinqucompetentibus. Illud notum, quod judici legaliter interroganti responsum debeatur competens: num verò debitum istud extorquere valeat mediis coactivis ante notatis, quilibet ex ratione substratæ materiae confidere poterit.

*Metus à jurisconsultis dicitur trepidatio mentis ob malum instans.* — Quodsi metus sit actionis causa eatenus, ut eo depulso non fieret actio, antecedens vocatur; si verò cum actione eum duntaxat habeat nexum & cursum, ut metu isthoc etiam remoto nihilo.



minus fieret actio, *concomitans* nominatur. Pater igitur, quod in casu priore fiat quidquam *ex* metu, in posteriore vero *cum* metu. — Ut imputatio eorum, quae metus causae sunt gesta, recte fiat, tria potissimum ponderanda veniunt: nimirtum metus mensura, causa, & justitia; ubi & notandum generaliter, quod metus ex sua indole voluntarium non tollat, etsi saepius id ipsum minuat.

Metus dividitur in primis in *gravem*, & *leuem*. *Gravis* passim is nominatur, qui tantum nititur momentis, ut cadat in constantem virum, id quod fieri non adsolet, nisi præmanibus sit malum grave, idque præsens aut certe proxime imminens, quodque aliter vitari nequit, nisi agendo ipsum, quod ex metu gestum postea dicitur. — *Levis* erit metus, si aut leve occurrat malum, aut tale, quod est aut remotius, aut quod depelli facile potest. — Mensura metus desumenda quoque venit à diversitate personarum, sexus, ætatis &c.: quare & metus aliis absolute gravis dicitur, aliis gravis respectivè ad ea, quae jam sunt memorata. — Præterea dividitur metus in *intrinsecum* & *extrinsecum*. *Intrinsicum* vocant illum, qui provenit à causa naturali agente sine libertate; veluti à feris bestiis, à naufragio, ab incendio, ab inundatione aquarum, à turbatione elementorum &c. *Extrinsicus* econtra ille est, qui incutitur à natura intelligente & libera: quare & hic metus incuti potest justè, vel injustè.

Mens nostra vi libertatis connatæ acerbissimis etiam tormentis cogi nequit ad eligendum id, quod aversatur sive non vult; multò igitur minus ad id compelli potest per metum qualemcunque: proinde, quidquid fit ex metu etiam antecedente, injustè etiam incusso, & utcunque gravi, ita tamen remanet voluntarium, ut metum passo sit imputabile.— Porro admittitur passim, quod leges humanæ non stringant cum periculo & casu mali gravis, supposito nimirum, quod nihil tunc committatur ac contineatur, quod ipso juri naturali contrarium esset.

Illud, quod fit metu *intrinseco* sive gravi, sive levi, imputatur agenti; teneturque aliquis promisso, voto &c., quod ex tali metu factum est.— Eodem modo sentiendum de metu *justè* incusso, qui eo casu dirigitur in bonum; secus enim foret incussus *injustè*.— Multò minus metus *levis* imputationem tollit: nam *levis* & *vani timoris justa excusatio non est.* L. 184. D. de R. J.— Neque ea, quæ ex hoc metu fiunt, adjudicantur terrori incusso, aut injuriæ incutientis, sed *fatuitati metuentis*, C. cum *dilectus*, 6. de *bis*, quæ *vitæ metusve causa*; aut tribuntur *meticulositati*. L. nec *timorem*, 7. D. quod *metus causa*.

## § VII.

*De actionibus aliorum, quæ nobis imputantur.*

*N*on nostræ duntaxat, sed & alienæ nobis imputari possunt actiones sive bonæ, sive malæ,



malæ. Quodsi jussu nostro, consilio, consensu, ope vel operâ ab aliis quædam fuerint gesta, ea in nostram quoque cedere laudem ac meritum judicamus omnimode: ex quo concluditur in oppositum, aliorum facta minus recta seu prava per nostrum influxum patrata pariter nobis adjudicari & imputari.

Ut igitur rectum feratur judicium, cause distinguendum, quomodo quis in alterius influat actiones; videlicet an tantum physicè, an etiam moraliter, an proximè, propinquè, remotè, an positivè vel negativè, directè vel indirectè, per se, vel per accidens?

Rationes, ob quas & nobis aliorum imputantur actiones, vulgatis his notisque duabus versibus comprehenduntur:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Sex rationes priores influxum denotant *positivum*; tres verò posteriores influxum *negativum* designant.

*Quantitas influxus in actionem alterius*, maximè quoque est attendenda; nam “ quia “ (veluti inquit *Cl. de Martini*) ex quantitate “ causæ quantitatem effectus oportet dime- “ tiri, palam est, mensuram imputationis in “ magnitudine & gradu moralitatis, adeo “ que & libertatis contineri: unde consequi- “ tur

“ tur, ut eò magis minúsve quis sit actionis  
 “ auctor, & hinc eo majore vel minore  
 “ præmio, aut pœna dignus judicandus, quo  
 “ ampliore vel angustiore arbitrio & ratione  
 “ in agendo est potitus,, Cap. V. de imputat.  
 §. CLXXXVI.

*Causam* actionis dispescere quoad præ-  
 sens solent authores in *præcipuam*, *collatera-  
 lem* seu *sociam*, *subjectam*, & *instrumentalem*.  
 Sic etiam aliis est *auctor* actionis, aliis *socius*  
 sive *adjuvans*, aliis *fautor*, aliis quasi *in-  
 strumentum*.

Itaque causa præcipua sive *auctor* actionis ille est, propter quem ea ponitur, sive à quo moventur principaliter causæ aliæ ad actionem suscipiendam: huic proinde potiore ratione & jure posita adscribitur actio. — Causam *subjectam* dicunt eam, quæ alteri ad agendum jam paratae, & ad idem incitanti obtemperat, eique præstat auxilium. — *Sociam* causam eam vocant, quæ auxilium præstat motu proprio, scilicet nec vocata, nec incitata. — Porro *causæ sociæ* & illi vocari solent, qui adhærent capiti & auctori seditionis, factionis, latrociniī &c. — Causa *merè instrumentalis* illa dicitur, quæ ab alia causa movetur ad ponendam actionem, quin ipsi innotescat, utrum bona vel mala sit actio. Sic milites qui ex mandato principis gerent bellum in se injustum, ita tamen, ut *injustitia* illius ipsis non sit explorata, causæ dyn-




duntaxat instrumentales belli injusti nunc  
parentur.

*Jussio* igitur modum complectitur pri-  
mum, quo aliena cuidam imputatur actio.  
Poteſt autem jubens potestatem habere auf-  
jurisdictionem in eum, ad quem refertur  
*jussio*; & tunc *jussio* ipsa induit rationem  
*stricti praecepti*: ex quo patet, *jussionem* ta-  
lem non nisi in actum bonum dirigi posse;  
omnis enim potestas à Deo est, & hic ne-  
mini potestatem tribuit præcipiendi iniquum;  
quare & existere nequit *vinculum iniquitatis*.  
Nulla est igitur obligatio obsequendi *jussis*,  
ubi nulla est jubendi ratio juri conformis;  
& vel maximè, si *jussio* per se opponatur  
recto. — Poteſt insuper jubens quidquam  
imponere alteri, quin potestatem in eum ha-  
beat & autoritatem; & tunc *jussio* non ex-  
cedit limites simplicis *mandati*; id quod alter  
acceptare pro libitu poteſt, aut repudiare.

Is, qui actionem præcipit, est causa il-  
lius *principia*: qui vero obtemperando exe-  
quitur actionem præceptam, est causa *sub-jecta* actionis. Sic causa *principia* occisi Uri-  
fuit David præcipiens; causa vero *subjecta* fuit  
Joab præceptum istud adimplens. II. Reg.  
XI. — Cæterum opus non est, ut ii, qui  
imperandi jus habent, iussu aut decreto ex-  
presso præcipiant quidquam; sufficit enim,  
si facto, re, aliisve signis mentem suam ma-  
nifestent, aliósque inducant ad actionem,  
qua-

quæ ipfis accepta putatur, quæque proinde ipfis meritò imputatur. Sic legimus, *Henricum II.* angliae regem conquestum fuisse sæpius apud suos de S. Thoma episcopo Cantuariensi, quòd in suo regno cum uno sacerdote pacem habere non posset: unde alii rati se se gratum regi præstituros obsequium, innocentem peremerunt.

Impensi intuitu *confilii* pariter imputatur aëtio; ita tamen, ut magis reputetur consilium, quod influit in ipsam aëtionis positio-  
nem, quam id, quod solummodo adficit agendi modum, dum quis nempe suggerit modum, quo aëtio aliunde modo proposita, facilius ad effectum deduci valeat.— Porro magis imputatur aëtio subsequens consilium speciale, quam generale; item fraudulentum, & dolo malo datum, quam imprudens, & ex imperitia natum: quamvis revera absconum sit, ac tertio communiter præjudiciosum de re parum cognita adseverantem velle pronunciare sententiam, aut circa eam competens velle impendere consilium.— Consilium *simplex* dicitur, quo quis circa rem propositam expendit & explicat, quid agendum, vel omittendum, quin tamen alium conetur incitare ad factum: non *simplex* econtra erit consilium, si quis eum, cui consilium impen-  
ditur, incitet, stimulet, propositisque moti-  
vis quasi urgeat ad agendum vel non agen-  
dum. *Simplex* igitur ad informandum intel-  
lectum vel maximè spectat; non *simplex* verò præ-



præcipuò refertur ad commovendam *voluntatem*, revocatúrque difficilius, nisi ratione priores aliis rationibus gravioribus elidantur, & ab intellectu prævento, & voluntate abrepta avocentur.

*Consensus*, influens in factum alienum pro varia ratione, imputationis effectum patit varium. Sanè à jussione vel mandato pa- rum ille distat consensus, sine quo alter opus propositum ad effectum deducere nequibat: veluti, si herus, paterfamilias, bellidux, aut princeps consentiant, ut sui respectivè con- cernentes injustè noceant subditis, aliisque. Qui proin prohibere factum naelum potuit ac debuit, quin tamen prohibuerit, consen- tit facto, eoque tenetur.— *Consensus* in fe- rendis suffragiis talis, qui adstipulatur legi minùs rectæ, sententiæ injustæ &c., item consensus in electionem subjecti indigni &c. maximè imputabilis est tribuentibus eum, utpote, qui reipsa & privato & publico præ- judicat bono; his igitur & damna inde di- manantia revera imputantur; eadémque refar- cire tenentur, nisi fortè talem ex ignorantia consensum præstiterint.

*Palpo* passim nuncupatur, qui aut gloriâ propositâ, aut exprobratâ ignavia, exagge- ratâ injuriâ &c. alium excitat ad actiones propositas. Actiones igitur ob hoc incitamen- tum perpetratae, utique & incitatori isti jure imputantur.— Quodsi quis adprobet & ra- ti habeat

tihabeat factum ab alio sine suo praescitu & influxu antea positum, imputabitur illud ei, non tanquam actus alienus, sed proprius: nisi forte per adprobationem praebuerit an-  
sam alteri, factum denuo committendi.

*Recurſus* nomine nil intelligitur aliud, quām ipſi receptatores iniqui personarum malē agentium in quovis genere, aut etiam rerum ablatarum receptores, detentores, emptores, venditores &c. — *Marcianus ICrus* quoad præsens reētē inquit: “Pessimū ge-“ nus est receptatorum, sine quibus nemo“ latere diu potest,.. *L. pessimum. i. D. de* *receptat.* — Receptatoribus imputari facta huc pertinencia per se se notum est; certa tamen intervenit imputationis distincō, pro ratio- ne nimirum majoris minorisve influxū re-ceptionis in aliorum facinora; id quod ex circumstantiis facile colligitur.

*Participans* ille dicitur, qui non solum ex aliena re, sed & ex factō alieno suscipit partem; factum nempe sua cooperatione & influxu ad effectum deducendo. Consequitur, quōd participantī talis facti consecutiones im-putentur, quōdque teneatur de damnis illa-tis etiam in solidum suppositā conſpiratione. Cautē tamen discernendum est atque dispi-ciendum, quanta quis ad factum contulerit momenta? item an proximē influxerit, aut remotius &c.?



Non solæ actiones, quibus influxum ad  
plicamus *positivum*, sed & illæ, in quas <sup>ad</sup>  
gativè duntaxat influimus, nobis sunt impu-  
tabiles; quo pertinent hæc tria: *mutus*, <sup>ad</sup>  
*obstans*, non manifestans.


Aliorum igitur nobis etiam imputantur  
actiones, dum eas impedire, aut prohibere  
possimus ac debemus vi muneric, pacifici  
charitatis &c. *verbis* porro pœnisque com-  
minatis actiones *vetamus*; *factis* verò *impedi-  
mus* easdem. — Quisquis ergo mala patrari  
intelligit, neque tamen, cum loquendo, sua-  
dendo, inducendo, reclamando, comminando  
avertere ea possit, ac certa ratione debeatur,  
isthæc media adhibet, *mutus* nuncupatur.  
Quodsi aliquis, dum in ordine ad impedien-  
dum malum operam suam interponere po-  
test ac debet, non obſtitat, neque adtinene-  
ribus viribus malum elidere conetur, dicitur  
*non obstans*. — Denique, qui conscius est ma-  
chinationis, proditionis, pravi aliorum con-  
ſilii, societatis iniquæ, furti absconditi, eo-  
rum, qui res furtivas recipiunt, distrahun-  
tique complices sunt malorum aliorum &c.  
præsupposito charitatis ordine, ea manifesta-  
re tenetur, quatenus manifestatio hæc ei mo-  
raliter adcommodata erit atque possibilis.  
Hanc igitur omittens manifestationem, dici-  
tur *non manifestans*, eique imputantur delicta  
quæ ex neglēcta denunciatione adcommodata  
ſibique moraliter possibili enascuntur.

In his igitur aliisque præstandis officiis culpa committi potest, omissio nempe debitæ sedulitatis & obligationis. — In tres partes culpam dividere solent: alia quippe est culpa *lata*, dum ea omittitur diligentia, quam homines passim in suis rebus, actionibus earumque adjunctis adhibere solent: alia est levis, quando omittitur diligentia, quam in gerendis rebus, negotiisque tractandis adhuc prudentiores magisque circumspecti: alia demum est levissima, & hæc culpa committitur omitendo negligentiam eam, quam non nisi cautissimi impendunt ac maximè providi.

## §. VIII.

### *De Conscientia.*

De conscientiæ natura, existentia & affectionibus generalibus plura resoluta consipiuntur §. III. — Restat nunc ponderare explicatius nonnulla huc facientia. Itaque, dum jus naturæ tres regulas sæpe dictas, obligatorias nempe, suasorias ac concessorias applicat ad actionem humanam in individuo hinc inde ponendam aut omitteNDam, conscientiam regulare intelligitur. — *Conscientia* igitur definitur, quod sit *judicium practicum*, *dictans*, quid hic & nunc relatè ad regulas moralitatis agendum sit, aut omittendum. — Consequitur, quod conscientia sit ratio immensata & ultima, actionum nostrarum ad regulam moralitatis applicativa; & quoniam hæc



hæc ratio non omnia regularum illarum precepta ac prohibiciones pro omni casu cognoscit; hinc & conscientia non est semper recta, sed hinc inde *erronea*. Recta dicitur cuius judicium de moralitate actionis verum erronea, cuius judicium *falsum* est. Posterior contingit aut ob regulam ignoratam, aut ob indebitam regulæ applicationem ad actum. Intuitu regulæ ignoratæ interest, utrum ignorantia sit vincibilis, vel invincibilis. In defectu rectæ applicationis regulæ ad factum reflectendum est, an commissus sit error in attentâ adhibitâ justâ diligentia, proinde inculpabiliter; num verò propter illius defec- tum, adeoque inculpabiliter.

Dividitur quoque conscientia in *certam* & in *probabilem*. Certa est judicium certum de moralitate actionis; probabilis verò conscientia est judicium conceptum ex motivis probabilibus.— Certitudo hoc loco nil innuit aliud, quam securitatem animi de qualitate actus sine formidine erroris judicantis unde non sola conscientia recta huc pertinet, sed & erronea invincibiliter & inculpatè certa esse potest respectivè, eo quod etiam hæc errorem formidinis excludat. Porro certitudo, probabilitas, probabilioritas, dubium &c., sunt duntaxat affectiones cognitionum nostrarum comparatae & relatae ad motiva respectivè ac momenta objectorum concernentium suscipiendorum, vel repudiandorum: sub quo obtutu alia certa sunt, alia

alia probabilia, alia dubia. — In ipsa certitudine insunt gradus; alia enim est certitudo maxima, alia major, alia minor, alia æqualis. — In cognitionibus ergo practicis de facultate, consilio, aut obligacione agendi quidquam, aut omittendi relatè ad tres regulas roties memoratas alia sunt certa, alia probabilia, alia dubia.

Quemadmodum certitudo suos haberet gradus, ita & *probabilitas*; alia nimurum *major* est, *minor* altera: item alia *intrinseca*, quæ nempe momentis nititur *intrinsecis*, alia *extrinseca*, quæ ab externis testimoniis & adoptionibus robur suum adipiscitur authoritatēque, & de qua dicitur passim: *tantum valet autoritas* (in causis adiaphoris) *quantum ratio per eam adlata evincit*. — Quid sentendum practicēque resolvendum in concursu seu collisione probabilitatis majoris, cum probabilitate minore circa idem objectum, aut, veluti scholæ loquuntur, in concursu sententiæ probabilioris cum probabili, facile colligitur ex eo, quod, si questio sit de probabilitate & probabiliitate ex momentis seu rationibus *intrinsecis* circa eandem actionem ponendam, aut non ponendam, collisionis hæc talis sit indolis, ut momenta *intrinseca* majora excludant motiva *intrinseca* minora circa idem objectum; pondus enim rationis *intrinsecum* est indivisibile, si eidem adplicetur objecto: & eo ipso, quo major mihi adparet ex jure naturæ postulata ratio, ipsum




ipsum usque adeo inimicum diligendi, editur pro hoc actu ratio minor eum odio habendi.— Aliud est de probabilitate extrinseca, utpote quæ, si duntaxat juxta numerum & mensuram patronorum ponderetur, divisibilis est circa idem etiam objectum in probabilitatem majoren & minorem; subjecta enim sive authores pro & contra tenentes, divisibiles sunt, nullusque eorum per suam autoritatem externam extinguit auctoritatem externam alterius.— Dubii intuitu notandum, aliud esse *theoreticum* seu speculativum, quod in actiones immediate non influit; aliud verò *practicum*, quod proxime adtingit actionem ponendam, vel non ponendam: hinc & conscientia alia est theoreticè, alia verò practicè dubia. — Dum in dubio pratico momenta agendi vel non agendi sunt in æquilibrio sive æqualia, neutrām partem sectari licet, sed dubium aut deponendum, aut ex alterutra parte majoribus rationibus vincendum; quæ majores & solidæ rationes competentes si æquilibrium tollant, sequi non licet partem debiliorem & vietam, sed fortiorē atque vincentem.

Consecutarium est, quod dictamen ultimum de honestate actionis certum esse debet, ut recta sit actio; quisquis enim practicè hæsit, premiturque formidine sanctorum recte agat & honestè, talique formidine adhuc subsistente nihilominus re ipsa operatur, animo sic affectus esse censetur, ut in ultima

ultima dictaminis resolutione quasi perinde sibi sit, utrum legem violet, an servet. — Generalem hanc naturae legem indicavit *Paulus Rom. XIV.* his verbis: "Omnis, quod non est ex fide (*puta*, ex *firme judicio de honestate actionis*) peccatum est". — Peccat igitur, qui agit *contra conscientiam*: item, qui agit *sine conscientia*, id est, sine dictamine de honestate actionis, si nempe nihilominus agat humano modo: denique qui non agit *ex conscientia*, id est, qui non agit *ex judicio certo ac firmo de honestate actionis*. — Primo sensu conscientia *serva* nuncupari potest, dum quis passionibus & objectis ita solet abripi, ut ratio & conscientia non dominetur passionibus animi & sensuum, sed ordine pessime inverso, rationis ac conscientiae dominatrix passio constituatur atque cupidas. — Qui passim ita operatur, *nullius conscientiae homo*, practicè videlicet, meritò esse dicitur, talisque hominis gustui illud sapidum esse videtur: *video meliora proboque; deteriora sequor*. — Altero casu conscientia dormire censetur, dum videlicet quis tum ex diuturna peccandi consuetudine, tum ex negligentiis, contemtis, torto que conamine rejectis conscientiae stimulis obtusus quasi & obcœcatus vix amplius distinguere solet, quid honestum sit, quid turpe & illicitum. — Tertio denique casu conscientia dicitur *laxa*, utpote quæ agit sine motivo rationis sufficientis.

I. Varia nunc ex his diffluent *Corollaria*:  
I. Si quis dubitet practicè, videlicet in agendo,



do, utrum hanc ponendo actionem aut omitendo delinquit graviter vel leviter, delicti gravis reus efficitur coram tribunal conscienciarum; ita enim comparatus est animo, ut non desistat, sive leve, sive grave sit delictum. — II. Quemadmodum quisque tenetur ipsum devitare delictum, ita & currit obligatio investigandi veritatem, legisque existentiam & sensum: nam qui tenetur ad finem, quoque obligatur ad media, sine quibus is ipse nequit obtineri finis. Sufficit autem certitudo moralis major, commensurata principiis humanisque traditis. — III. Qui laborat errore circa honestatem actionis tali, ut eum deponere valeat, errore nempe vincibili, deponere eundem omnino tenetur: si vero error sit invincibilis, tenetur sequi conscientiam etsi erroneam; homo enim suis in actionibus proximo & ultimo regitur dictamine. Locum illud habet, dum quis firmiter adhaeret ultimo suo judicio, quod præcepit aliquid sit, quod est prohibitum, aut vicissim, vel dum judicat quidquam pertinere ad regulam duntaxat concessoriam, quando id revera pertinet ad regulam obligatoriam, vel econtra.

### §. IX.

*Actionis humanæ affectio, qua valida diciatur, aut irrita.*

**N**otio validitatis actus humani passim ac generatim figitur in eo, quod reipsa producuntur effectus.

effectum illum moralem, ad quem ordinatur: videlicet jus, aut obligationem vel gignendo, vel extinguendo, vel firmando, vel innovando &c.: econtra actus ille humanus *irritus* esse dicitur sive nullus, qui memorato effectu morali caret.

Duo potissimum occurunt, quae actuum horum validitatem constituunt aut invaliditatem: *primo* nempe actuum *forma*, quam & substantiale appellant; *secundo* actuum *materia*, agentis *jus*, & *consensus* eorum, inter quos geritur negotium. — Quoniam igitur sine forma res esse nequit; hinc actus erit nullus, si ea sit formâ destitutus: sic formam jure constitutam humano habent testamenta, adoptio, electio &c. & jure divino Sacra-menta. — *Materia* actibus hujusmodi substra-ta duplex passim adstruitur: *facta* nimirum & *res*: haec quippe circa duo pertractatio potissimum habet locum. — Porro notandum, quod materia promissionis nequeat esse *impossibile*, & *turpe*. — Quoad *impossibile* per se patescit, promissionem circa id, quod præstari neutquam potest, aut dum promissio adscit temporis differentiam exclusivam, pro qua promissio adimpleri nequit, esse nullam. — *Materia turpis* illa reputatur, quae vetira est lege quacunque: at vero promissionem faciem circa id, quod lege prohibitum, adeoque minus honestum est, nullam inducere obligationem, irritamque reputari manifestum est ex eo, quod non sit obligatio iniquum,



seu quòd non subsistat vinculum iniquitatis.  
Accedit, quòd ea, quæ turpia sunt, in jure  
censeantur omnino fieri non posse: sic di-  
fertè jus naturæ declaratur à Papiniano L.  
*si filius.* 15. *D. de conditionibus institut.* ubi  
inquit: "Quæ facta laedunt pietatem, existi-  
" mationem, verecundiam nostram, & (ut  
" generaliter dixerim) contra bonos mores  
" fiunt; nec facere nos posse credendum  
" est,. — Sed quid, si promissio sub con-  
ditione turpi acceptata fuerit, & conditio hac  
adimpta, v. g. si quis cum alio convenerit  
dabo tibi centum, si meum occideris inimi-  
cum, idque reipsa secutum? — Dicendum,  
irritam in omnem effectum manere promis-  
sionem etiam conditione adimpletâ, nec pro-  
mittentem teneri de centum. Profectò non  
tenetur ex promissione ipsa, utpote nullâ:  
minùs ex facto, seu occidente injustè subse-  
cutâ, quæ in se obligandi vim nullam habet.

*Quoad jus seu facultatem agentis quoque*  
patulum est, quòd si quis eorum, inter quos  
versatur actio, careat facultate *moralis* tribuen-  
di quidquam vel acquirendi, aut suscipien-  
dæ obligationis, aut eam alteri imponendi,  
actus concernens sit nullus, ac proinde pro-  
non gesto reputetur. — Ut igitur validè quid-  
quam agatur, suūmque quoad præsens for-  
tiatur effectum, necessum omnino, ut ex  
parte concurrentium, jus illud agendi vel  
recipiendi, sive connatum fuerit sive hypo-  
theticum, præsupponatur; si enim vel ex una  
parte

Parte deficiat, nullus est actus. — Hoc principio nititur regula 79. in VI. “Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur.” Pariter huc refertur regula 64. “Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.” Item, C. quod autem. 5. de jure patronatus: Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare. — Adpositè ad præsentem locum dicit Puffendorffius: cùm obligatio semper referatur ad alium, cui quid est præstandum; adeoque illi respondet in altero jus, cuius vi exigere queat obligationis impletionem: non sufficit ad eandem generandam, ut in uno sint principia obligationem producentia; sed in altero quoque requiruntur principia ad jus quærendum idonea: citra jus quippe obligationi respondens, nulla intelligi potest obligatio, & nihil debeo, si nemo jure à me poscere quid potest.” de J. N. & G. L. III. C. VI. §. 10.

Intuitu *consensū* statuendum, generatim non sufficere, ut quis *vudum* animo foveat *propositum* quidquam agendi, aut si duntaxat *externe* manifestet, quid facere cogitet; sed in foro juris naturalis planè requiritur, ut quis interponat voluntatem internam, quae id determinat & efficit, in quod tendit agens; nempe voluntas jus conferendi, imponendi que aut suscipiendi obligationem. — Porro voluntatis *hujus declarationem* per verba



competentia aut signa necessariam reddit humana ipsa societas atque natura; per signa namque externa homo homini cogitatus suos, mentisque intentionem manifestat. — Aliud est de voto aut promissione Deo facta; Deus enim etiam interna dilucidissime perspicitur ex quo & sit, quod ipsius tribunali celari possit nihil, utcunque clancularie, utcunque internè gestum, sine qua cognitione omnisciencia, & in ea contenta providentia infinita male profectò consultum esset generi humano; quia ex una parte recte facta, & ex parte altera delicta deduci ultimatò nequirent ad tribunal infallibile & indefectibile, ubi fraus nulla, nulla circumventio ac deceptio, nulla occultatio locum habet.

Denique consensus refertur vel ad rei substantiam, vel ad ejus accidentaria. Qui consentit in substantiam, etiam in accidentia regulariter consensisse censetur; non tamen vicissim. Igitur consensus in substantiam objecti, illi, de quo agitur, suum tribuit va- lorem, nisi forte quis uni vel alteri accidenti suum consensum vel dissensum adligaverit speciatim.

Oritur nunc quæstio, utrum actus ex eo, quod sint lege prohibiti, etiam nulli sint & irriti potissimum jure naturæ? — Resolvitur, quod actus illi, qui prohibiti sunt ob turpitudinem internam, veluti promissa & pacta turpia, moralem nullum valeant nan-

cisci

cisci effectum; adeoque sint irriti: jus quippe seu facultas nulla est ad objecta turpia; valētque hic etiam regula 64. in VI. "quæ contra jus (facultatem moralem) fiunt, debent utique pro infectis haberis. — Unde & actus metu gravi injustè incusso positus ad extorquendum aliquid incutienti minimè debitum, naturalem nullam parit obligationem. Et sane, quis non intelligit harum oppositionem propositionum: naturā dictante, ejusdemque auctore adprobante devinētum quenquam teneo ad hoc vel illud mibi præstandum. — Et eodem tempore ac circa idem objectum in vim juris naturæ obligatum me sentio ad illud nec petendum, nec extorquendum? Porro nulla suspecta materia promissionis aut præstationis extortæ per metum injustè incussum: nam qui v. g. vitam suam aut securitatem in simili casu redimit, nil reipsa facit aliud, quam per id, quod suum est, emere suum, propriam v. g. vitam erga pecuniam propriam.

Quodsi prohibiti sint actus materiam adficientes adiaphoram, malamque duntaxat ob adjuncta actionis aut agentis, veriti esse possunt, quin sint irriti, variis tamen pro casibus erunt irritabiles. Sequitur, quod legitima facultas agendi, quæ ad ipsam validitatem requiritur, distincta sit à licentia agendi. Interest itaque inter jus ipsum in radice spectatum, & inter rectum juris usum.

## § X.

*De officiis erga Deum in specie.*


**O**fficia erga Deum, seipsum & proximum *in genere* delineavimus Cap. I. §. VI. — Re-  
liquum est, ut & de officiis istis *in specie* di-  
camus ea, quae nostro commensurata sunt  
*instituto & scopo.*

Itaque in vim ipsius etiam juris & obli-  
gationis naturalis quemlibet teneri in Deum  
credere fide verâ, sperare fiduciâ firmâ, eun-  
démque amare charitate non fictâ, sed tali,  
qua Deus diligitur reipsa super omnia, idque  
ob perfectiones in deitate reluentes, nem-  
ni dubium esse potest, qui debitam Entis hu-  
jus notitiam sibi comparare haud neglexit. —  
Porro obligatus est homo ad notitiam illam  
adquarendam, nutriendam & consolidandam.  
Quisquis autem tenetur ad finem, pariter  
obligatur ad media necessaria & apta ad fi-  
nis illius consecutionem: media autem huc  
facientia sunt varia, & potissimum ratio &  
authoritas; ubi vel maximè spectandum est  
verbum divinum sive traditum, sive scrip-  
tum juris naturalis inhæsivè declarativum:  
nam juris naturæ sensum ex nullo fonte cla-  
rius haurire possumus, quam ex eo ipso ve-  
ritatis spiritu, qui ipsum jus naturæ funda-  
vit, insuper & verbo suo positivo illustravit.

Quantopere igitur perhorrescendi sint doctores illi jurisprudentiæ naturalis, qui inter jus naturæ, & inter jus divinum positivum oppositionem & pugnam subsistere inscitè & frivolè garriunt, nemo non videt. Eminet inter ipsos Joannes Jacobus Schmaus, consiliarius aulicus & professor juris ordinarius Göttingensis, in novo suo systemate de jure naturæ, anno 1754. ubi comminiscitur sequentia:

“ Natura insuper in certa mensura opponitur divinæ revelationi in S. Scriptura;  
 “ & ita sequitur, quod in jure naturæ abstrahendum sit *ab omni illo*, quod in revealata lege divina, ursuote lege divina positiva, contentum est, uti E. g. à statu integritatis & lapsu Adami, à Decalogo &c.  
 “ unde jus naturæ juxta principia christianæ religionis, foret conceptus valde inconcinnus & impertinens. Respiciendum est ad solam hominis naturam, & ad id, quod in ea observatur, sine additamento & reflexione ulteriore: neque turbari debemus, et si etiam in revelatione occurreret quid aliud.  
 “ Quæstio solummodo de eo est, quod homini est connatum &c., Lib. 3. cap. I. §. VII.

Superi boni! quanta qualisque hæc sermocinandi ratio & energia! — sanè, si *natura humana* utique, ejusdémque jura connata & congenitæ obligationes) opponatur divinæ revelationi, veluti loquitur author, ergo etiam divina revelatio opponitur naturæ isti, ejusdémque



que connatis juribus & obligationibus. <sup>Vt</sup>  
 rum, quid insulsius, Deoque magis injurio-  
 sum dici potest? Et nihilominus dicit idip-  
 sum professor publicus in universitate pu-  
 blica. Idem spiritus veritatis, qui auctor est  
 juris naturalis, æquè ac juris divini revelati-  
 utrumque in ordine ad felicitatem creaturae  
 naturalis constituendam promovendamque,  
 opposita & pugnantia dirigeret ad idem sub-  
 jectum in ordine ad illud deducendum ad  
 finem sibi præstitutum! & quid quæ so! aliud  
 est *revelare*, quam removere velum, ut ea,  
 quæ occulta adhucdum erant, clarus videri  
 seu perspici possint ab oculo & acie mentis  
 humanæ? qua igitur ratione revelatio op-  
 ponit poterit illi, quod quoad varia adhuc  
 latitans, clarus positum est in lucem? — &  
 quomodo, his positis & ponderatis, in jure  
 naturæ *abstrahi poterit ab omni illo*, quod in re-  
 velata lege divina contentum est, ipsum usque  
 adeo *Decalogum* excludendo? Ergone jus na-  
 turale nullum habet nexum cum maximo illo  
 etiam Decalogi præcepto, Deum cognoscen-  
 di & adorandi? An creaturae rationalis con-  
 ditor & pater omnipotens atque supremus,  
 jurisque naturalis auctor & communicator in-  
 finite providus à jure naturæ ejusdémque  
 officiis erit segregandus & abstrahendus?  
 Annon impingit in ipsum jus naturæ om-  
 nis, qui sibi facit sculptile, eique impedit cul-  
 tum latræ soli Deo debitum, Deum videli-  
 cer negligendo, & loco illius creaturam sub-  
 stituendo, adorando? — Et quis ignorat,  
 omnia

omnia Decalogi præcepta in substantia ex jure naturæ esse deponita? singulis illis supercedeo enumerandis.— & quid hæc innuit enunciatio Schmausiana: *neque turbari debemus, et si in revelatione quid occurreret aliud, puta, quam in jure naturæ contineretur?* Nil profectò aliud adsertio isthæc intimare videtur, quam Numen maximum revelare quidquam potuisse, quod juri naturæ repugnaret, proin sapientissimum Dei spiritum revelationis auctorem proponere quidquam atque docere posse & velle, quod juribus & obligationibus primigeniis sive naturalibus adversaretur, jussionem nempe jussione jugando, obligationem primigeniam obligatione adventitiâ infestando. Utrum talia adstruentes, non pariant monstra duntaxat, sed & contradictiones contradictionibus adcumulent scandalosis pessimèque sonantibus atque in Deum injuriosis, cuilibet veritatis amatori à partium studio præconceptisque præjudiciis non abrepto dijudicandum relinquo.

Tenemur igitur in vim principiorum juris naturæ etiam absolororum præstare fidem Deo talem, quæ ipsius veracitati ac voluntati est consona; proinde *incredulitas & infidelitas quæcunque juri naturæ repugnat: ex quo & deducitur, quid de autonomia, seu de libertate credendi arbitraria sit sentendum;* Deus profectò opposita in causa religionis nec velle potest neque adprobare: Deus unus, fides una; & veritas una veritati alteri



alteri repugnare nequit. — Porro “sine fide  
“ (vera) impossibile est placere Deo. Crede.  
“ re oportet accedentem ad Deum, quia est,  
“ & inquirentibus se remunerator sit.” Hebr.  
XI. 6. iis nempe remunerator est, qui inqui-  
runt eum in veritate & subjectione debita.—  
Intuitu incredulitatis, studiique novitatis nostra  
præsignasse tempora videtur spiritus sanctus  
Psl. 13. his verbis: “Corrupti sunt, & abo-  
“ minabiles facti sunt in studiis suis.” Con-  
gruit & illud Pauli: “Evanuerunt in cogi-  
“ tationibus suis, & obscuratum est insipiens  
“ cor eorum; dicentes enim se esse sapien-  
“ tes, stulti facti sunt.” Rom. I. 22.

Quemadmodum etiam *spes* seu fiducie  
in Deum ex visceribus juris quoque natu-  
ralis repetitur, ita & desperatio ex una, &  
ex altera parte præsumtio juri naturæ op-  
ponitur. Est autem *desperatio*, qua quis om-  
nem salutis, ac divinæ opis spem abjicit;  
*præsumtio* verò, seu *spes temeraria*, dum quis  
confidit, bona sibi esse obventura à solo Deo  
sine proprio suo conatu, aut ex solo suo  
conatu absque divinis auxiliis seu mediis;  
aut siquis aliter felicitatem æternam consequi  
velit, quām per media a Deo posita, & ab  
ecclesia proposita.

Ex debita Summi Numinis cognitione  
sive notitiâ multa profluunt hominis officia  
erga ipsum, & vel maximè *amor* Dei super  
omnia; quisquis enim ratione debitâ cognos-  
cit

et Deum tanquam Summum bonum in se, insuper & tanquam summum bonum nostrum, amorem maximum concipiat foveatque in ens illud infinitè bonum, omnino necessum est: amorem inquam non solius concupiscentiae, vi cuius diligimus Deum ut nobis bonum, sed etiam benevolentiae, vi cuius diligimus Deum ut bonum in se.

Porro quisquis modo haec tenus explicato Deum cognoscit amatque, huic perinde esse nequit, utrum summum illud omnis creaturæ rationalis bonum etiam cognoscatur, debitè colatur diligaturque ab aliis, nec ne: unde officium & depositum nostrum, Summi Dei cognitionem, majestatem, gloriam, venerationem & amorem, quantum id nostris accommodatum est viribus & adjunctis, exercitare ac promovere in aliis, per media idonea & rectè commensurata admittendo, ut ignorantes edoceantur, & errantes in rectam salutis semitam reducantur. — Agnoscit id atque inculcat ipsusmet *Heineccius* et si catholicus, his verbis: "Qui vivam perfectio-  
 " num entis alicujus notitiam sibi peperit,  
 " is non potest non iisdem unicè ac mirificè  
 " delectari. Quumque qui entis cuiusdam  
 " perfectionibus ipsi delectantur, nihil fa-  
 " ciant reliqui, ut alii omnes illud eadem  
 " veneratione prosequantur; ad officium sanè  
 " nostrum pertinet, ut & alii, Dei ejusdem-  
 " que perfectionum ignari, tam præclarâ  
 " doctrinâ imbuantur, & errantes reducantur  
 " in


" in viam, & impii, quoad ejus fieri potest,  
 " ad concipiendam Summi Numinis reve-  
 " rentiam solidis demonstrationibus ac co-  
 " bortationibus excitentur. Quod qui faciunt,  
 " gloriam Dei, quantum in ipsis est, pro-  
 " vehere dicuntur „ *Jur. Nat. & Gent. Lib.*  
*I. Cap. V. §. CXXVIII.* — Nil profectò fo-  
 ret optabilius, quam ut concernentes qui-  
 cunque sancto recteque ordinato Zelo, &  
 doctrinâ undique insonte ac genuinâ genus  
 illud officii fideliter adimplerent juxta man-  
 datum Pauli: " *Prædicta verbum, insta op-*  
 " *portunè, importunè: argue, obsecra, in-*  
 " *crepa in omni patientia & doctrina.* Erit  
 " enim tempus, cum *sanam doctrinam non*  
 " *sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt*  
 " *sibi magistros prurientes auribus;* & à veritate  
 " *quidem auditum avertent, ad fabulas au-*  
 " *tem convertentur,* „ *Timoth. Cap. IV. 2. 3. 4.*

Consectarium est, quod amori Deo de-  
 bitissimo opponatur *odium summi entis om-*  
 niūmque parentis, quod est vitium penitus  
 execrabile: idem est de *contemptu & vilipen-*  
 sione Dei, de *blasphemia* in Deum, aut de *in-*  
*differentia* relatè ad bonum illud maximum.—  
 Insuper & illi officia amoris Deo competen-  
 tis non explent, qui pro viribus non conan-  
 tur ad Deum ejusque veram ecclesiam redu-  
 cere errantes; & à fortiore isti, qui debitè  
 atque adtemperatè ad Evangelium Christi re-  
 ducentibus aut obsistunt, aut non suppeli-  
 tant manus; aut qui coacervant magistros  
 pru-

prudentes auribus, eosdémque suffulciunt, quique sanam doctrinam non sustinent, & sic propter momenta jam memorata faciunt, ut plurimi à veritate auditum avertant, & convertantur ad fabulas nescio quales quantásque. —

Præter alia tenemur Deo nostrum in omnibus præstare obsequium, sive obedientiam ac subjectionem: quo circa ait Zallinger: "Subjectionem erga summum Deum ac di-  
" vinum imperium propriam esse hominis,  
" cíque necessariam, ipsa creationis ac gu-  
" bernationis ratio apertissimè evincit: unde  
" æquè ineptè ac impiè Hobbesius docuit,  
" atheum Dei legibus non subjici, eoque  
" voluntatem suam Dei voluntati nunquam  
" subjecerit, ac nemo summum imperium  
" in nos habeat, quod non sit ei nostro con-  
" sensu delatum,,. Zallinger Lib. I. jur. nat.  
priv. §. LXV.

Profectò, si imperium omne, vel maxi-  
mè divinum eorum consensu, quibus impe-  
ratur, constitueretur, societati humanæ æquè  
ac imperantibus pessimè foret consultum,  
quoniam extunc actiones humanæ non à le-  
gibus, sed leges ab actionibus & placitis  
contra legem dependerent, proinde leges  
etiam aptissimæ pro mero subjectorum ar-  
bitrio elidi possent atque frustrari, non sine  
maximo imperantium & subditorum præju-  
dicio & incommodo: unde & tenetur quili-  
bet




bet legibus societatis legitimæ, cuius membra  
brum efficitur: sic v. g. illi in causa religio-  
nis à nobis dissidentes, qui per baptismum in-  
traverunt januam ecclesiæ, tenentur ecclesiæ  
legibus, etiam si ipsis obsequium deferre re-  
luctentur. Nemo igitur transgressioni legum  
illarum etiam quoad illos inculpatè cooperari  
potest. Et quis negaverit, hominem bapti-  
zatum & catholicè educatum, atheismum  
deinde, aut materialismum vel indifferentismum  
impie adoptantem teneri legibus ec-  
clesiæ? ergo similiter de omnibus baptizatis.

Porro *obedientia* præstanda Deo genera-  
lem parit obligationem, aliisque præferen-  
dam jussis universis, quæ cum *obedientia*  
Deo exhibenda conciliari nequeunt: quare  
si enascatur collisio inter duo præcepta ista:  
*pare Deo:* &, *pare magistratui*, sine ullo  
dubio *obedire oportet Deo magis*, quam *homini-*  
*bus.* A&t. V. 29.— Divina ergo voluntas lex  
esto suprema, divina nempe voluntas aut jure  
naturæ, aut positivo divino in regulis obli-  
gatoriis expressa. — Ipsius id agnoverunt  
ethnici, & speciatim *Socrates* apud Platonem  
in apologia relatus exclamans: “O viri athe-  
“ nienses! diligo vos equidem, atque amo;  
“ Deo tamen parere malo, quam vobis.”  
Et *juvenalis* poeta canit: “ Ambiguæ siquan-  
“ do citabere testis incertæque rei, Phalaris  
“ licet imperet, ut sis falsus, & admoto dic-  
“ tet perjuria tauro; summum crede nefas  
“ animam præferre pudori, & propter vi-  
“ tam vivendi perdere causam,” *Satyra. VIII.*  
Dei

Dei insuper *timor nostris* versetur in præcordiis, omnino necessum est: "Initium sapientiæ, timor Domini .. psl. 110. Est autem timor alius *filialis*, dum quis Deum timet ceu optimum suum parentem, sine speciali relatione ad pœnam iniquis actionibus definitam; alius *servilis*, dum quis vel maximè metu pœnarum facit, aut non facit id, quod fieri aut non fieri vult Deus: servilis iste timor etsi filiali multò sit ignobilior, per se tamen malus non est, quia refertur ad perfectiones infinitas, videlicet ad divinam iustitiam, omniscientiam, immensitatem sive deitatem ubique præsentem, veracitatem &c. per quod & distinguitur à timore serviliter servili, qui concipitur atque fovertur ob solas pœnas in se spectatas, qui proinde repudiandus est.

Supremo omnium Domino, summæque maiestati, conditori ac rectori totius universi legitimum impendere *cultum* cuilibet creaturæ rationali jus naturæ inculcat: quare nulla est natio, agrestis licet & barbara, quæ aliquem saltem summi Numinis non habeat cultum, etsi fortè ignoret, qualem habere debeat: nullus est populus, qui tanquam primarium societatis suæ fundamentum Summi alicujus æternique provisoris cultum non teneat, quique invocationem Numinis pro spectatissimo semper non habuerit officio.

Tenemur autem colere Deum, non solis *internis* animi facultatibus; sed & legitimo debi-



debitéque ordinato *externo* agendi modo. Igitur vi juris naturalis non solum *cultus internum*, sed & *cultus externus* Summi omnium parentis præcipitur: Quis mortalium dicere ausit, filium competentia patri exhibere officia pietatis, observantiæ, honoris &c., si ea solo persolvat animo, quin in circumstantiis occurrentibus coram aliis id manifestet? Neque pater, etsi de rectis internis animi sensibus filii sit convictus, iis solis aquiescere potest, sed externas insuper postulat actiones huc pertinentes. Quidni igitur id à potiore statuendum de creatura rationali relatè ad suum creatorem? unde Salvator noster dicit: “Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum, qui in cœlis est” *Matth. V. 16.* Et iterum: “Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est” *Matth. X. 32.*

33. Væ igitur illis, qui externum & publicum cultum Deo debitum aut contemnunt, aut devitant, aut ei decerpunt concorrentia. — Ratione cultūs externi inquit *Schwarzbueber*: “Cultui interno vi juris naturæ externum addendum esse, negare non puduit *Theomasum introduct.* in *Eth. Lib. 3. Cap. 37.* eoquod Deus tali cultū nec ratione sui indigeat, nec respectu hominum, quippe qui sit scrutator cordium, ut adeo mini-

“mē

“ mè necesse sit eidem per opera externa  
 “ cultum internum demonstrare, quemadmo-  
 “ dum id fieri debet apud homines, . . .  
 “ quia abdita pectoris introspicere nequeunt.,,  
*Parte II. Cap. I. Sect. I. Art. I. §. 246.* —  
 Respondet autem solvitque omnimodè ob-  
 jectionem §. 248. dicendo: “ Non ideo uti-  
 “ que Deo exhibemus cultum externum, ut  
 “ nostrum affectum, vel nostras necessitates  
 “ discat; quemadmodum olim pagani erga  
 “ inanes suos Deos fecerunt, meritò à *Sene-*  
*ca*, teste Augustino Lib. 7. de Civit. Cap.  
 “ 10. irrisi; & quo idipsum fine facere fo-  
 “ lemus erga homines nobis superiores; sed  
 “ ad testificandum supremum Numinis in-  
 “ nos dominium, nostramque demonstran-  
 “ dam subjectionem, quorum utrumque ad  
 “ ipsum etiam corpus se extendit: & deni-  
 “ que, ut nos, & etiam alios per actus sen-  
 “ fibiles & externos excitemus ad actus in-  
 “ ternos .”

In hunc locum meritò iterum audiri me-  
 retur *Heineccius* ita differens: “ Quandoqui-  
 “ dem verò ita natura comparata est, ut  
 “ affectus in actiones externas erumpat; vix  
 “ sincerus videretur cultus interus, nisi in-  
 “ de nasceretur externus. . . . Evidem ne-  
 “ cessitatem cultū istius externi ex ratione  
 “ posse demonstrari quidam negarunt, eo-  
 “ quod hoc cultu non indiget Deus. . . . .  
 “ Sed nec cultu interno indiget Deus, quem  
 “ tamen necessarium esse nemo negaverit .”  
*3. N. & G. Lib. I. Cap. V. §. C. XXXV.*



Deum igitur colere debemus & adfectionibus seu animi sensis internis, & signis externis affectum nostrum comprobantibus; in quibus actibus internis externisque *cultus Dei* propriè consistit. — Itaque modus determinatus cultum exhibendi Deo, *Religio nuncupatur*. Quodsi cultus iste secundum notiones divinarum perfectionum humanæque naturæ, dependentiæ & indigentiæ determinatur, sistaturque in his duntaxat notionibus; *religio naturalis* audit; si verò insuper singulari Dei eloquio seu revelatione mediisque supernaturalibus elevetur & innotescat, dicitur *religio supernaturalis ac revelata*. Quodsi denique & competentibus religionis naturalis, & reipsa à Deo profluentibus religionis revelatae veritatibus ac principiis nitatur, instituatur & absolvatur, *religio vera* vocatur. Consequitur, quod alia quæcunque *religio* universis his non instituta & fulta principiis, jure merito *falsa* dicatur, adeoque Deo placere nequeat, nam sine fide vera, & sine religione vera impossibile est placere Deo.

*Religioni veræ* correspondet *jus credendorum*, & *jus agendorum*. *Jus credendorum* in illis continetur veritatibus divinis, quæ propriè *dogmata* vocantur; & *jus agendorum* consistit in illis præceptis, quæ ordinant & instituunt *mores*, quæque *disciplinam* regulant & dirigunt. Ad veritatem *dogmaticam* requiritur, ut ea à spiritu divino profluat, & quæ talis à *vera ecclesia* sit proposita. *Pertinentia ad*

ad mores & disciplinam pendent à recta dispositione ecclesiæ, conciliorum nempe præsulūmque debitè subordinatorum, aliorūmve competentium superiorum *ecclesiasticorum*; ut ita ecclesiæ competat explicare ac determinare, quid *dogmaticum* sit, & quid *disciplinare*, veluti & ipsa causarum disciplinarium *Directio*.

Hanc circa materiam sententiam Zallingeri sequentibus conceptam formalibus referre juvabit: “ Passim distingui soler inter substantialia & accidentalia religionis. Cl Rieger inquit, *substantialia religionis naturalis in sciendis & agendis; accidentalia in iis actionibus consistunt, quæ licet vario modo posite, æquè tamen faciunt ad cultum Deo exhibendum.* — *Positâ civitate, majestatis officium erit, substantialia religionis omni, quo potest, modo custodire: accidentalia vero ita DETERMINARE, ut sint felicitatis internæ media, finem tamen civitatis & felicitatem internam, quam cum illa conciliari volunt naturæ leges, non impedian.* Rieger. *Jurisprud. eccles.* p. f. §. XVI. — Ita (pergit Zallinger) imperanti nihil juris hi quidem circa *substantialia religionis* adjudicant: at dum *accidentalia ab ipso determinari aptarique humanis rebus posse statuunt, totum pene dant, quod Sacrum est, & alienum à profano imperio.* Nam quid *substantiale* sit, vel *substantiam religionis* adtingat, princeps politicus definiat: dein quidquid sacra potestas decerner vel adgredietur, id aliter atque aliter fieri



“ fieri posse, consequenter accidentale esse  
“ dicet, proindeque à se determinandum at-  
“ que aptandum consiliis suis &c., Lib. I.  
J. N. priv. §. LXVIII.

Cum igitur ad causas religionis ipsas  
five substantiales, five accidentales explican-  
das, dijudicandas & dirimendas requiratur  
*jurisdictio sacra*, eadémque non Reipublicæ,  
sed Ecclesiæ tradita sit divinitus; hinc di-  
stinctio inter substantialia & accidentalia in  
hunc præcisè effectum nihil adfert patrocinii.

Denique homini nihil acceptius, nil æsti-  
mabilius, nil magis proficuum in hac vita  
censeri debet, quām vera in Deum religio  
in qua proinde subsistendum immobiliter  
si genuinis veræ religionis sit insignita cha-  
racteribus & notis; aut ea inquirenda est,  
suscipienda atque tenenda ab omnibus extra  
eam existentibus. Obligatio isthac ex jure  
naturæ postulatur originariè. Aliter vero in-  
notescit lex naturæ, & aliter lex revelata:  
de prima inquit *Paulus*: “ Legem non ha-  
“ bentes (*positivam*) ipsi sibi sunt lex (*legem*  
“ naturæ in cordibus suis legendo) naturaliter  
“ ea, quæ legis sunt, faciunt „ *Rom. II. 14*.  
De secunda autem dicit: “ Fides ex auditu  
“ auditus autem per verbum Christi „ *Rom.*  
X 17. — Quare in eâdem epistola præmi-  
sit sequentia: “ Quomodo invocabunt, in  
“ quem non crediderunt? aut quomodo cre-  
“ dent ei, quem non audierunt? quomodo  
“ autem

“ autem audient sine prædicante? quomodo  
 “ verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut  
 “ scriptum est: quām speciosi pedes evan-  
 “ gelizantium pacem, evangelizantium bona,,.  
*Rom. X. 14. 15. 16.* — Missus ergo missio-  
 nem suam probare tenetur.


## § XI.

*De officiis erga seipsum in particulari.*

Generatim de officiis erga semetipsum egimus §. VI. C. I. pag. 21. superest, ut & speciatim sive in particulari ad rem hanc pertinentia discutiantur.

Ipsâ naturâ ita comparati sumus, ut quilibet cupiat esse felix pro omni duratione suæ existentiæ; hanc verò æviternam esse, seu duraturam sine fine, ex immortalitate animæ dignoscitur. Igitur curandum omnimodè, ut non solùm pro hoc, sed & pro futuro sæculo re ipsa simus felices; id quod si sincerè velimus, media adhibeamus ad utramque felicitatem necessaria, plane necessum est; quisquis enim vult finem, is debet & velle media ad finis consecutionem apta & necessaria.

Amor itaque proprius, seu dilectio sui ipsius, si rectè ordinetur, felicitatem utramque promovet, & à jure naturæ præcipitur. Tria potissimum ad hominis felicitatem con ducentia



ducentia benevolus ac providus Deus indul-  
sit eidem; videlicet bona animæ, bona cor-  
poris, ac bona exteriora. Per bona animæ  
non solæ facultates illius intelliguntur, sed  
& bonum conscientiæ rectæ, ac media quæ-  
vis spiritualia ad veram hominis felicitatem  
conducibilia, & præcipue bonum veræ reli-  
gionis. Quoad bona corporis maximè adten-  
duntur illius vires, integritas, conservatio,  
cultura, decens honestas &c. Nomine bono-  
rum exteriorum intelligenda veniunt bona  
famæ, fortunæ, statûs honorifici &c. Debi-  
tus finique hominis principali consentaneus  
usus bonorum horum universorum, ex fon-  
te juris naturæ resultat; talis nempe usus,  
qui actiones nostras & officio erga nos cum  
Deo necit, & fini nostro ultimo consociat.  
Cum igitur homo suipius non sit dominus;  
sed in omnibus pendeat à supremo Numinis;  
hinc in acquirendis, utendis, tuendis perfi-  
ciendisque bonis animæ, corporis, famæ,  
fortunæ &c. ad summam Numinis volunta-  
tem animum convertere tenetur, atque ab  
hac regula maxima suam metiri directionem.

Bona animæ præprimis sunt geminæ fa-  
cultates mentis nostræ, intellectus nempe at-  
que voluntas, ea dein bona singula, quæ ad  
facultatum harum perfectionem ac finem  
spectant. Generatim perfectio intellectus con-  
sistit in *cognitione veri*, & perfectio volunta-  
ris in *amore boni*. Quilibet igitur in vim di-  
lectionis erga seipsum tenetur imbuere in-  
tellectum

tellectum cognitione veri, sibiique providere de omni veritate ad veram felicitatem necessaria. Debet insuper dirigere voluntatem ad prosecutionem boni genuini, ejusdemque parare consecutionem: quo vel maxime pertinet studium & cura æternam præ aliis secundi & obtainendi beatitudinem, animæque detrimentum gravius judicare, quam mala quævis cætera; "quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?", *Matth. XVI.*, 26.

Post virtutis ac sempiternæ salutis studium homini nil acceptius esse dignoscitur, quam vita & incolumentas. Tenetur igitur quilibet conservare vitam propriam contra aggressorem injustum, & extra casum collisionis cum vera virtute, si nempe virtus ipsa moralis salvâ regulâ obligatoriâ conservari non posset, nisi per amissionem vitæ. Sibi ipsi violentias injicere manus, *autochiriam* committendo sive suiipsius occisionem, jure naturæ gravissimè prohibitum est, nec pro ullo casu cohonestabile. Deus auctor est vitæ, dominusque vitæ & necis, non autem ipsi nos: proinde nemini licet autoritate propria nec inferre sibi, aut etiam alteri. Deinde seipsum perimere crudelitatem sapit, quam ipsa natura perhorrescit, ac naturalis ratio & instinctus maximè detestatur. Nullo igitur fine motivoque exitialem hanc summo Nu-



Numinis dominio justissimóque arbitrio <sup>re-</sup>  
 pugnantem licet ponere actionem. — Ho-  
 mines igitur rationis adhuc compotes tam  
 innaturaliter in se se desævientes aut in ex-  
 tremam prolapsi sunt desperationem, aut  
 atheismo immersi vel materialismo, futuris  
 præmiis aut suppliciis fidem dant nullam,  
 & sic malis, queis premuntur, temporalibus  
 ac præsentibus metam imponere volentes,  
 accelerant initium pœnarum æternarum, ma-  
 lum breve cum malo perpetuo commutan-  
 do. — Porro autochiriam, ex parte etiam ho-  
 minis per justam judicis sententiam condem-  
 nati ad mortem, licitam facere nequit jussio seu  
 præceptum supremæ potestatis humanæ, vel  
 judicis cujuscunque criminalis; ad turpe enim,  
 & ad malum intrinsecum nulla extenditur  
 jurisdictio: quare & leges humanæ horren-  
 dis ejusmodi factis jure resistunt. — Ne-  
 que sic dictæ leges & facta populorum in-  
 cultorum & infidelium quidquam evincere  
 possunt in contrarium: unde si verum sit,  
 quod Seneca, acceptâ ab ingrato discipulo  
 Nerone sententiâ, ipse sibi ruperit in balneo  
 venas, pro more suo impius in ferenda sen-  
 tentia fuit Nero, & in ea acceptanda & exe-  
 quenda imprudens & inofficiosus fuit Seneca.

Occisio suîpsius indirecta si mediis fiat  
 incompetentibus, v. g. per intemperantiam  
 in potu, per luxuriam &c., pariter illicita  
 est atque detestabilis: aliud est, si quis ex mo-  
 rivo veræ virtutis, E. g. ex recte ordinato  
 amore

amore patriæ, ex obedientia, aut ex officio se se exponat mortis periculo etiam proximiōri; uti milites tempore belli, parochi & curati animarum tempore pestis Sacra-menta administrantes hac labe infectis, Evan-gelium prædicantes infidelibus &c.

**Corporis mutilatio, seu propriorum re-sectio membrorum in *thesi* quoque est illicita;** sicut enim vitæ, ita & membrorum suorum nemo est Dominus, adeoque de ipsis disponere nequit pro libitu, sed ea conservare tenetur. Attamen in *hypothesi*, quòd ad conservationem totius sit utilis & necessaria separatio membra nocivi, abscissio talis licita non solum est, sed à jure naturæ præcepta; quisquis enim tenetur ad finem, videlicet ad conservationem vitæ, tenetur etiam ad media in hunc finem apta & necessaria: ergo dum quis nequit conservare totum sine amissione partis, tenetur ad separationem partis, quæ non resecta corrumperet totum: nam inter duo mala minus eligendum est.

In casibus autem ambiguis, utrum re-sectio membra operatura sit effectum con-servationis totius; imò potius operatio talis sit accelerativa mortis, adtendendum est sedulò ex parte expertorum medicorum & chirurgorum, ex qua parte subsit securitas major, ad quam extunc se se resolvere pos-terit infirmus, quin tamen ad id teneatur, nisi præ manibus sit certitudo moralis maxi-ma,



ma, per separationem partis salvari totum.  
Denique nunquam est licitum ad vitam aut  
membra conservanda, vel ad sanitatem tuen-  
dam aut restituendam ullum committere pec-  
catum; quia non licet facere mala, ut eve-  
niant bona: quare & mediis illicitis sanitatis  
restitutionem moliri, omnino vetitum est  
ipso etiam jure naturali.

Ad famam quod adtinet, generatim ipsa  
definiri solet: *communis hominum sermo de per-  
fectione, vel imperfectione cuiusdam:* ex quo con-  
ficitur, famam aliam esse bonam, malam al-  
teram; malam videlicet, si communis inter  
homines discursus obtineat atque judicium  
de alterius defectibus & vitiis: bona e con-  
tra alicujus erit fama, dum de perfectioni-  
bus cuiusdam ac virtutibus communis &  
publica viget existimatio sive judicium. —  
Est igitur fama bonum externum, & quidem  
post vitam & virtutem, quibus ceu funda-  
mentis innititur, maximi faciendum: unde  
& ortum est axioma illud vulgatum: *fama  
& vita pari passu ambulant.*

Itaque fama bona partem jurium nostros  
rum constituit, prætereaque majores per-  
fectiones adquirendi occasionem præbet, ve-  
luti & ansam proficiendi sibi & aliis: pro-  
inde per se loquendo cuiuslibet depositum  
officium eandem conservandi augendique;  
cumque officium istud profluat ex jure per-  
fecto, hinc si fama nostra læsa sit ab alio,  
re-

réparationem seu restitutionem honoris justè exigimus, & reciprocè quivis obligatur aliorum haud lædere famam, & si violaverit eam, tenetur obligatione perfecta eandem resarcire; illud enim homini ingenuo proboque ipsâ dictante ratione peraccepsum, conveniens, simul atque ad vitæ societatem mutuāmque fiduciam necessarium, ut probus habeatur & bonus: quare ait sapiens: "Me lius est nomen bonum, quam divitiæ ,,,  
*Prov. XXII. 1.* — Cùm porro bona fama consistat in publico hominum judicio bono; propterea fama etiam ipsius in regula læditur injustè, cuius delictum occultum panditur: talis namque adhuc est in legitima famae bonæ possessione, adeoque bonus præsumi debet, donec legitimè proberetur malus.

Non solum per defectum, sed & per excessum in usu juris hujus delinqui potest, dum videlicet cura boni nominis in vanitatem, aut in studium popularis captandæ laudis degenerat, aut dum quis ancipites voces statim ad injuriam detorquet, vel si ad reparationem famæ media adhibeat incompetitia, ipsique juri naturali repugnantia. — Fugienda igitur est *ambitio*, quæ est appetitus laudis & honoris per se tantum, & propter se, contra istud psalmista: " Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam „. *psalm. 113.* — Insuper arrogantia, dum quis existimatarum, aut fortuito occurrentium intuitu perfectionum laudem aucupatur alienam.


Quem-



Quemadmodum cuvis jus à natura tributum est conservandæ existimationis, famæ, honoris, eaque, quæ his contraria sunt avertendi & repellendi; sic & competens jus defensionis tributum est, si bona isthæc à malignis impetantur hominibus. — Verum quæritur, quæ sit veræ defensionis ratio, sive quodnam sit aptum ac necessarium honoris & nominis tuendi medium? annon sola calumniæ refutatio, testium auctoritas, tribunal judicis in statu civitatis, deprecatione ac revocatio, sed an præterea quandoque ipsa etiam calumniatoris occisio vel gravis mutilatio per *duellum* seu monomachiam?

Definiri solet *duellum*, quòd sit *pugna singularis ab utraque parte sponte suscepta ex contracto, sive designato loco & tempore cum armis ad graviter vulnerandum, vel occidendum aptis.* — Discrepat igitur formale duellum à rixis extemporaneis, iis nempe, quæ exurgunt, dum quidam per accidens sibi occurrentes repentinno animi æstu arma stringunt. — Contra duella suo modò tempore *Constantinus magnus* statuit sequentia: “Cruenia spectacula in otio civili & domestica quiete non placeant: quapropter omnino gladiatores esse prohibemus.” Leg. unic. *de gladiatoribus penitus tollendis.* — & cl. Schwarzhueber refert, qua ratione “Leopoldus imperator capit, “Ludovicus XIV. galliæ Rex laquei, augus-“tissima imperatrix vidua, Hungariæ ac Bo-“hemiarum Regina Theresia noviter & itera-“tò

" tò pœnam mortis contra hæc monstra san-  
 " civerint „. *Parte II. C. I. Sect. III. §. 364.* —  
 Porro ab ecclesia damnatae sunt propositio-  
 nes universæ, quæ sub quovis prætextu, ti-  
 tulo aut casu duella licita fieri adseruerunt:  
 Et jure quidem meritissimo; duellum enim  
 juri naturæ repugnat absoluto, quia imme-  
 diatè opponitur Summo dominio Dei, quod  
 sive à deferente, sive ab acceptante duellum  
 violatur; nullus enim duellantum aut in suam,  
 aut in alterius vitam dominio gaudet; ne-  
 que ulla tenus dominii in eos translatio co-  
 gitari potest aut debet. Et profectò duellum  
 non est medium aptum, quin potius medium  
 perditissimum ad recuperandum honorem;  
 utpote per quod honor verus deperditur om-  
 nis apud Deum & homines rectè sentientes,  
 incurriturque manifestum amittendæ vitæ,  
 animæque periculum. Quis porro pruden-  
 tum vesanam, insanam omnique lege prohibi-  
 bitam hujuscemodi ostentationem belluinâma  
 que ferocitatem sub limitibus veri honoris  
 contineri adseveraverit? Proin & sapiens ne-  
 mo dixerit, per eam reparari famam aut  
 honorem. — Stolidum igitur nulloque fun-  
 damento nixum vulgi præjudicium, mediante  
 duello reparari honorem, ab ipso jure na-  
 turæ corrigitur ad sufficientiam, ita, ut hanc  
 rationalis naturæ vocem respuentes, verè  
 sint inexcusabiles, & belluis adsimilandi,  
 proinde, si in duello pereant, sepultura asy-  
 ni sint sepeliendi. — Denique enorme istud  
 delictum etiam imputatur ad illud quomo-  
 dolibet



dolibet concurrentibus, uti, in duello pūblico, procuratori, quem & championem vo-  
cānt, sic dictis patrinis, invitatis, insuper &  
adcurrentibus spectatoribus; dein in duello  
privato secundantibus ita nuncupatis, veluti  
& spectatoribus universis.

Bona fortunæ quod spectat, eorum ac-  
quisitio, conservatio, usus &c. conformari  
per omnia debent finibus à natura præstitu-  
tis: dominia rerum, omnésque inde proma-  
nantes dispositiones regulari debent juxta  
dominium illimitatum & imparicipatum;  
omnia enim dominia hominum participata  
sunt à primo & essentiali rerum omnium  
Domino, adeoque à sapientissimo ipsius im-  
perio usus eorum definiendus est atque di-  
metiendus.

Quamvis igitur fortunæ bona concessa  
& acquisita plerumque non nisi cum nostro  
labore bonaque œconomia conserventur &  
augeantur, considerari tamen nequeunt ali-  
ter, quam media ad vitam honestè tradu-  
cendam, id est, tanquam præsidia tum pro-  
priæ, tum communis, tum privatæ aliorum  
necessitatis utilitatisque competentis; ita nimi-  
rum, ut prudenti rectoque illorum usu non  
de nobis tantum, sed & de Republica, atque  
de aliis bene mereri oporteat.

In bonorum illorum acquisitione, aliena-  
tione, elocatione &c. fraus & dolus, violen-  
cia

tia & oppressio, & generatim omnis injustitia ita devitanda, ut eâ interveniente, male parta sint obnoxia restitutioni. — In eorum *conservatione* media adhibeantur commensurata & licita, caveaturque, ne unquam excedatur in moderamine inculpatæ tutelæ. Hujus intuitu moderaminis quæritur, utrum bona fortunæ ab injusto adgressore impedita, defendi possint atque servari à Domino, cum illatione ipsius etiam necis ex parte invadentis? — Quodsi invasor ita comparatus esse animo præsumi possit, ut ad eripienda bona, si alia non supersit via, ipsam etiam necem possessoribus inferre velle censetur, id quod de invasoribus iniquis armis stipatis nocturno potissimum tempore passim existimatur & merito, resolvendum erit affirmativè, quoniam extunc possessoris & vita, & bona fortunæ in discrimen vocantur: insuper & talis resolutio fundatur in præsumtione periculi communis. — Si porro immineat discrimen proximum amittendī bona fortunæ ad vitæ sustentationem absolute necessaria, queis proinde sublati, quis coniceretur in necessitatem *extremam* amittendæ vitæ ex penuria annonæ, par militat ratio injustum bonorum horum ezeptorem trucidandi, si non sit alia superstes repelendi via. — Verum, quid, si quis à raptore bonorum fortunæ duntaxat in *gravem* coniceretur necessitatem, aut *damnum* va'de notabile? — Ob *damnum leve* evitandum occidere, aut graviter mutilare invadentem,



juri naturæ haud consonat, & regulariter occidere furem, pro conservatione unius aurei, proscriptum est *Propos.* 31. inter damnatas. — Atvero occurrente *damno gravi* in fortunæ bonis, quod elidi nequit aliter, quam invasoris nece aut mutilatione gravi, habenda quidem est ratio seu subordinatio bonorum fortunæ ad bona vitæ ac membrorum: novimus tamen, quod auctoritate *publica* suspendantur fures, non quod vitam, sed quod bona hominibus abstulerint; item *bella plerumque geri*, non quod aliis vita, *sed res fortunæ eripiantur.*

Quamvis igitur *per se* loquendo non sit proportio inter bonum vitæ, & bonum fortunæ; ea tamen proportio ad crescere potest ex eo, quod securitas communis & publica subintrat in medium, ejusdemque conservatio magis facienda sit, quam hominis alicuius malitiosi, totique Reipublicæ maximè nocivi vita, quam non nisi per reiterata vulnera bono communi infligenda transacturus judicatur. — Cum igitur sublatâ potestate privatâ gravium notabiliumque fortunæ bonorum ablationem, aut damnificationem avertendi per intentionem mortis aut gravis mutilationis injusti invasoris, dum videlicet aliâ nullâ viâ repelli is potest, aut ablatum revindicari, gravia quoque in rem publicam bonumque commune mala inducerentur, sive que criminibus campus tribueretur spatiösior; hinc similibus in casibus subordinatio bonorum

rum fortunæ ad vitam tolli videtur ex eo, quod ex una parte non sola sit quæstio de bono fortunæ privato, sed & de tranquillitate publica simul implicata & compromissa, ex alia verò parte duntaxat de vita aut integritate membrorum hominis privati bonum publicum turbantis, omnique occasione occurrente proximo nocere meditantis atque conantis. Et sanè generatim ridiculus ille foret hostis, qui, ne impereretur bellicorum explosione tormentorum, protestari vellet, quod non ad vitam, sed ad res duntaxat alias occupandas tenendásque venisset.

Strictissime tamen hic utendum est moderamine inculpatæ tutelæ; secus enim homicidia fierent arbitraria, id quod à jure naturæ penitus abhorret. Quodsi igitur quis invasorem in fugam agere possit clamando, vicinos invocando, publicum signum emitendo &c. occisio locum non habet; si que mutilando valeat avertere damnum, occidere non audet. Revideri possunt acta §. III. pag. 62. & 63.

Bonorum fortunæ *dispensatio* sive usus inter legitimos contineri debet limites, ne degeneret in excessum, aut in defectum. De usu hoc legitimo egimus §. III. pag. 61.— Itaque attento jure naturæ bona fortunæ ita dispensanda sunt & impendenda, ut generatim sana œconomia locum habeat, minimè verò ad prodigalitatem fiat progressus aut

= = = = =

ad avaritiam, quarum primā per excessum,  
secunda autem per defectum à jure naturæ  
recedit.— De avaritia etiam in S. Scriptura  
dicitur: “ Avaro autem nihil est scelestius.”  
*Eccli X.9.* item: “ Cavete ab omni avaritia,”  
*Lucæ XII. 15.* — & *Seneca* inter alia de ava-  
ris statuit sequentia: “ Desunt inopiæ multa,  
“ avaritiæ omnia. In nullum avarus bonus  
“ est, in se pessimus „. *Epist. CVIII.* item:  
“ Nulla avaritia sine poena est, quamvis fa-  
“ tis sit ipsa poenarum.... quam misera de-  
“ sideratis, quam misera partis est! (avaro  
“ enim tam id quod habet, quam quod non ha-  
“ bet deest) adjice quotidianas solicitudines,  
“ quæ pro modo habendi avarum discru-  
“ ciant „. *Epist. CXV.*

Porro si verum sit, quod de *Seneca* re-  
fert Cl. *Steinacher*, *Seneca* quoad hoc singu-  
larem meretur fidem, eoquod propria edoc-  
tus experientiâ sit ita locutus. Dicit autem  
inter alia *Steinacher* de *Seneca*: “ erat avarus,  
“ qui spatio quatuor annorum ferme sex  
“ millions corrasit,..... cujusque conclu-  
“ ve plusquam quingentæ mensæ cedrinae,  
“ pedibus nixæ eburneis exornabant. In pre-  
“ tiosis hisce mensis contra divitias scribe-  
“ bat „. *Historia philosophica.* pag. 231.


## § XII.

*De officiis singularibus erga proximum.*  
**D**eum super omnia amare tenemur, ex quo  
& gravia complura alia erga Ens illud  
inf.

infinitum deducta sunt officia.' Debemus insuper nobis ipsis amorem recte ordinatum, ex quo varia erga semetipsum diffluere officia ostendimus. Denique veluti nos ipsos, ita & propter Deum sincerè diligere debemus proximum, eique proinde non pauca tribuenda sunt officia sive obsequia, quæ singula recurrunt ad duo saepius memorata principia generalia, videlicet vel ad hoc negativum: *quod tibi non vis fieri* &c. vel ad illud adfirmativum: *quod vultis, ut vobis faciant homines* &c. De officiis istis huc pertinentibus egimus generatim C. I. §. VI. Restat ea nunc expendere singillatim.

Cum itaque debeamus diligere proximum sicut nos ipsis, idque utrumque vel maximè propter Deum atque motiva recte ordinata; hinc in omnibus proximo exhibendis officiis affectus quicunque sinistri sunt amputandi.

Officia relatè ad proximum sunt vel connecta vel adventitia, perfecta vel imperfecta, vel necessitatis, utilitatis, beneplaciti &c. Concernunt autem vel bona animæ, vel corporis, vel fortunæ. In collisione sive conflictu bonorum eorum omnium id præferendum esse, quod est præstantius, deducitur ex ipsa notione juris necessitatis, quod jus definiri solet: *facultas moralis legem negligendi debilitem, ut propter conflictum legi fortiori pareatur.*



Quodsi igitur cum officio connato collidatur adventitium, insistendum est connato, prætermisso adventitio: idem est de perfecto relatè ad imperfectum, de necessitate relatè ad meram utilitatem, de bono animæ comparatè ad bonum corporis &c, ipsarum etiam saepius adtendenda est diversitas personarum, ita tamen, ut *personarum acceptio* devitetur.


Quemadmodum porro gravissimum primùmque *erga se* officium consistit in cura propriæ salutis æternæ; ita & nemini dubium esse potest, quin in cura salutis æternæ proximi principalissimum officium huic impendendum consistat. Sicut ergo bonum infinitum longè præstantius est finito, sic & solicitude atque industria nostra præprimis collocanda est in eo, ut proximio de mediis ad salutem æternam necessariis utilibusque provideatur; de qua re uberioris locuti sumus supra §. X. Pag. 109, 110.

Insuper genuinus erga proximum depositus amor, ut pro excolendis naturalibus animæ facultatibus, & corporis viribus nostram interponamus operam, atque concursum tribuamus & nostræ, & illius conditio ni adtemperatum. — Ratio pariter habenda est, ut & vitæ, & membris, & famæ & bonis fortunæ, omnique veræ indigentia proximi ex amore recte ordinato suffici- mentum præstetur. — Maxima porro nobis incumbit obligatio nullum ex memoratis om nibus

nibus proximi bonis imperendi, turbandi, violandi, acquisitionem debitam & usum impediendi &c. Sique proximi jus perfectum turbatum fuerit à nobis, ad restitutionem boni cujuscunque violati tenebimur.

Quoniam denique amor proximo debitus est universalis; hinc nullius omnino personæ patitur exceptionem. Consecrarium est, quod ipse usque adeo diligendus sit inimicus, & quidem in vim juris etiam naturalis, in quo obligatio isthæc solidatur, & ex cuius fonte dimanat.

Ut obligatio sincerè, id est affectivè & effectivè diligendi inimicum dilucidè perspicatur, distinguenda veniunt hæc duo: *persona* inimici, & illa ejus *affectio* animi cum redundantibus inde factis, per quam re ipsa inimicus efficitur. Persona, puta natura inimici eandem nobiscum sortitur originem, easdem facultates, eandemque finis æterni præstitutionem, proinde quoad se bona est, & sicut mea, ita & mei inimici natura, anima nempe, facta est ad similitudinem divinitatis.— Ipsa animi affectio, per quam quis meus constituitur inimicus, est actus voluntatis præconcepto nixus judicio sine principio solido rationis sufficientis, adeoque affectio ista mala est, & opposita legibus.— Diligere malum nemo debet; igitur dilectio qualitatis seu affectionis hujus iniquæ in inimico non solum non præcipitur, sed ju-  
re




re legéque vetatur, veluti omnium prohibetur dilectio delictorum.— Verùm ipsam inimici personam atque naturam in se bonam similémque nostræ, atque ad eundem finem destinatam diligere omnino tenemur; ipsa enim ob hæc est objectum dilectioni nostræ per omnia adtemperatum, quemadmodum & nos ipsi talis nostræ intuitu naturæ finisque æterni &c. nos ipsos diligere debemus. Cum igitur inimicus ob causas jam memoratas reipsa sit proximus noster, eumque proximum diligere debeamus sicut nos ipsos, consequens est, quod non solum in jus divinum positivum, sed & in ipsum jus naturæ impingat, quisquis non diligit inimicum sicut seipsum; utrobique enim obtinet eadem diligendi ratio, eadem nempe origo, eadem imago, finis idem. —

Dilectio erga nos perficere jubet & nos & statum nostrum: ergo & dilectio erga inimicum depositit à nobis, ut & ipsum, ipsiusque statum perficere conemur. Perficimus nos & statum nostrum, dum pertinentia ad bonum animæ, vitæ, famæ, bonorum fortunæ &c. rectâ ratione acquirere, retinere atque promovere contendimus, mala his contraria bonis, evitando, propulsando. Sequitur, quod ratione consimili gerere nos debeamus relatè ad bona inimici, ac proximi cuiuscunque, ipsis etiam, sensu prædicto, benefaciendo, qui oderunt nos. Inimicis ergo non solummodo ignoscendum est; sed &

& connitendum, ut mala eorum adfectio-  
nes, ac mala quævis alia ab ipsis, tanquam  
proximis nostris sincerè dilectis, arceantur,  
& bona ad ipsos deriventur.

Pater ex his, dilectionem erga proximum, ex capite originis, imaginis & finis ejusdem, tam universalem esse, ut ad omnia totius humanæ societatis membra tam activè, quam passivè extendatur. Modo igitur prædicto etiam diligendi sunt increduli, judæi, mahemotani, hæretici, schismatici &c. ita autem in specie diligendi sunt, ut convertantur & vivant, minimè autem, ut in errore confortentur, perseverent & pereant; istud enim non recti amoris, sed perniciosi odii rationem haberet.

Singularia etiam officia hominis erga hominem versantur circa significationem mentis, quæ quidem significatio aut sermone, aut literis, aut nutibus, aliisve receptis universim, aut specialiter definitis signis locum habere potest, atque extunc declaratio mentis expressa vocatur: si verò talia ponantur facta, ex quibus habitâ ratione loci, temporis ac reliquorum adjunctorum, agentis intentio colligi potest, tacita mentis declaratio nuncupatur.— Veritas secerni hoc loco solet in *logicam*, & in *moralem*. Logica in conformitate signorum cum re, moralis in conformitate signorum cum animi sensis collatur: atque huic, morali videlicet, opponitur




tur *mendacium*, quod est locutio *deliberata*<sup>a</sup> contra mentem cum intentione alterum fal-lendi. — Dividi solet mendacium seu falsilo-quium in *externum*, quod & *perniciosum* vo-citant, quia ad alterius dirigitur *detrimentum* aut *injuriam*; & in *internum*, idque vel *jocosum* est, quia oblectationis duntaxat cau-sâ profertur, vel *officium*, si quis falsilo-quio aut suam, aut aliorum quærat utilita-tem. — *Æquivoca* proferre sive ambigua, idem est, ac verbis aut factis utri, quæ ex-usu communi plures habent significationes. — Manifestatio externa, quæ cum animi sensis reipsa coincidit, *sincera* vocatur; ea verò ex-terna actio, quæ cogitationibus dissentit, *fri-mulata* nuncupatur. — Omissio verborum, per quæ alteri significari quidquam potest, est *reticentia*; atverò aliorum omissio signo-rum, queis animi sensa exprimuntur, *dissi-mulatio* audit. — *Restriccio* alia est *interna*, seu purè mentalis, videlicet dictum quoddam tum ex se, tum ex præsentibus adjunctis de-terminatum ad significationem menti con-trariam, etsi per aliquid solâ mente reten-tum possit verum habere sensum; alia est *externa*, sive realis, aut latè mentalis, dum mens loquentis per talia exprimitur signa & adjuncta, ut quidem non obviè, attamen absolute & ex parte acutè ac debitè adten-dentium valeat adtingi.

Notio *arcani* hoc quoque loco venit ex-pendenda: intelligitur autem per *arcandum* nihil

nihil aliud, quām celatio illius, quod ab aliis ignorari volumus, aut quod ab eis ignorari velle debemus; sēpe enim prudentia, sēpe charitas, sēpe etiam justitia prohibet revealare veritatem, si nempe ex revelatione aut incommodum, aut infamia, aut horum aliorū mē malorum immineat periculum: quae quidem obligatio suum nanciscitur effectum ex pacto vel explicito, vel tacito, vel ex legge generali nil faciendi, quod repugnat iuri tertii. Obtinet etiam speciatim hæc obligatio Sigilli naturalis, siquid causâ petendi consilii manifestatum est atque concreditum: in ipsa quippe petitione consilii passim intercedere pactum tacitum omnes agnoscunt.

Mendacium sive falsiloquium juri naturæ repugnat absoluто, adeoque licitum est nunquam. Ratio adserti postulatur tum à perfectionibus infinitis, à quibus actiones universæ humanæ commensurantur, tum à fine sermonis, cui quælibet locutio contra mentem adversatur. Quoad primum nemini dubium esse potest, quod nostri veritas sermonis perfectio sit participata, à veritate & veracitate infinitâ deponita, eamque respiens pro regula sua primigenia & immobili; contra verò, quod deliberata locutio falsa infinitæ veritati opponatur ex indole sua, quemadmodum inhonestum primæ honestati contrarium est. Cùm igitur id omne, quod in genere morum infinitis per se opponitur perfectionibus, malum sit atque illicitum




licitum jure naturæ; hinc & de mendacio  
rectè idipsum concludimus. Quoad secun-  
dum, finem nempe sermonis, notandum,  
sermonis nostri finem vel esse *proximum*,  
videlicet, ut animi nostri sensa communicen-  
tur alteri, vel *remotum*, ut hominum felici-  
tas & securitas stabiliatur & promoveatur.  
Fini huic utrique repugnat mendacium; ea-  
quod illo interveniente nec animi sensa com-  
municentur, neque hominum felicitati & se-  
curitati consulatur, cum nemo securus *esse*  
possit, utrum à loquente non fallatur.

Circa illos, qui cum *Grotio*, *Puffendorf*,  
*fio* & *Heineccio* mendacium à falsiloquio di-  
stinguere, & hoc quandoque licitum evin-  
cere frustra adlaborant, inquit *Zallinger*:  
 “ Ex mente quorundam auctorum, maxime  
 “ protestantium, à mendacio distinctum est  
 “ falsiloquium in eo, quod quis deliberatè  
 “ quidem contra mentem loquatur; at nem-  
 “ pe tum, quando interrogans jus non ha-  
 “ bet exquirendi à me verum, nec aliunde  
 “ inferatur alicui damnum. Alii falsiloquium  
 “ tunc licitum dicunt, quando obligationi  
 “ satisfieri non posset, nisi moraliter falsum  
 “ loquendo; eoque jus naturæ det jus ad  
 “ ea, sine quibus naturali obligationi satis-  
 “ fieri nequit. Ecce novum exemplum ver-  
 “ satilis illius principii, quo roties invitâ  
 “ naturâ utuntur dilucularii nostri ad natu-  
 “ rale jus corrumpendum: *jus ad finem dat*  
 “ *jus ad media*: dicent fortassis, cum quivis jus  
 “ habeat

" habeat defendendæ famæ , citra ingens  
 " piaculum confungi posse grave crimen,  
 " atque alteri detrahenti impingi , quo mi-  
 " nuatur ejus auctoritas? *Conf. prop. 43.* &  
 " 44. *inter damnatas ab Innoc. XI.* Nunquid  
 " enim & hoc casu jus ad finem dat jus ad  
 " media? , *Lib. I. j. n. p. §. LXXXVIII.*

Porro restrictio merè interna , seu *pure mentalis* , cum per adhibita signa externa nullo modo ordinata sit ad manifestandum illud , de quo procedit quæstio , nullatenus à mendacio discrepat , proinde illicita est semper . — Quodsi verò restrictio *realis* sive externa fiat eatenus , ut per se loquendo animi sensa per signa adhibita idoneè intelligi possint ab iis , qui debitam præstant adtentionem & perspicacem observationem , à culpa erit immunis , vel maximè , si ratio subsit competens ejusmodi significandi modum adhibendi . Restrictio isthæc se tenet non tam ex parte proferentis signa per se idonea , quàm ex parte audientis , signa ista debitè non penetrantis ; adeoque error non intenditur , sed justa de causa permittitur , eumque sibi adscribere ille deberet , qui sine jure , vel etiam contra jus & æquum de re quadam certior fieri cupit .

Dum verum non solùm dicimus , sed & veritatem prolatam certis modis confirmamus , *adseverationem* interponere dicimur . Adseveratio ,



severatio, quæ fit invocato Deo tanquam téste omniscio, & justo vindice, *jusjurandum* seu juramentum nominatur. Dividi illud solet in *adsertorium*, dum quis Deum interponit ad conciliandam majorem fidem propositioni à se circa præsens adsertæ; & in *promissorium*, si quis per id firmet promissionem à se factam circa futuram ejus executionem. — Ad juramentum tria potissimum requiruntur; videlicet, “*Veritas, judicium & justitia*,” *Jerem. IV. 2.* — Finis juramenti duplex est; qui enim jurat, majorem suis verbis fidem conciliare vult ex una, & ex altera parte eum, cui juratur, de sua sinceritate & de veriloquio suo magis securum reddere intendit. — Requiritur autem, ut in jurejuringando locum habeat veritas; nimurum, ut quod adseritur, verum esse agnoscatur ex argumentis certissimis; veritatis proinde hujus judicium niti debet rationibus non dunt taxat probabilibus, sed undequaque certis & indubitatis. Sed & justitiâ juramentum debet esse vestitum tali, ut per id promoteatur bonum aut privatum, aut publicum, nemique per id fiat injuria: insuper sufficiens jurandi debet subesse ratio & materia, veluti & *jusjurandum* deferendi aut acceptandi auctoritas. Ex quo conficitur, quid sentiendum de societatibus illis clanculariis omnique genuina jurisdictione destitutis, qui & circa objecta incompetentia, & sine auctoritate legitima sociis juramenta frivolè deferunt, & ab iis temerè facta acceptant: tales profecto

aut ignorant, juramentum esse actum religionis ob summi Numinis reverentiam nunquam temerè ponendum, aut quisquilias suas aliòsve fines profanos &c. religionis actibus recte ponendis præferunt.

Cùm porro in jurejurando Deus ipse in medium adducatur ceu testis & vindex, manifestum est, eos, qui aut inficiantur Deum omniscium, aut mali vindicem, ad jusjurandum nulla etiam ex causa esse admittendos: Deum namque blasphemè & impiè negantes, ad ipsum provocare nequeunt in ordine ad sua constabilienda effata, neque id, nisi irrisoriè, neutriquam ex pio animo facere censendi sunt; & qui Deum non admittunt ceu malorum vindicem, perjuria adcumulare perjuriis minimè reformidabunt. — Patet ex his, quantum præjudicii ac derimenti Republicæ adferant istius generis homines, quantumque eorum fidelitati sit fidendum. — Circa hæc loquitur *Heineccius* in modum sequentem: “Quimque à jurantibus Deus, “ tanquam vindex, invocetur, consequens “ est, ut in ludibrium abeat jusjurandum “ Athei, & graviter peccet, qui homini ejus “ commatis jusjurandum defert. Requiritur, “ ut jusjurandum tuum quoad formulas, tum “ quoad ritus cujuslibet religioni sit adtemperatum, adeoque ne jurisjurandi quidem nomen meretur adseveratio per res, quarum nulla mentem vincit religio: ut perjurii meritò det pœnas, qui per falsos “ Deos



“ Deos pejerāvit, imo & Atheus, qui dis-  
“ simulato Atheismo, per Dēum pejeravit,  
“ tanquam qui alios decepit, jure puniatur”  
*J. N. & G. Lib. I. C. VII. §. CCVII.*

Pejeratio vocatur illud jusjurandum, per quod quis jurat se dicere verum, cum sciat rem esse falsam: atvero veri juramenti violationem, perjurium vocant; ex quo fit, quod pejeratio sit juratum mendacium, perjurium verò jurata perfidia.

### §. XIII.

*De officiis hypotheticis ad proximum circa bona externa.*

Officia hypothetica sunt, quae ex statu adventitio enascuntur, & vel maximè referuntur ad vulgatum isthoc: *Cuique suum.* Dupli potissimum modo quisquam contendere potest, hoc vel istud esse suum; videlicet aut significatione propria, dum rei dominium habet, aut impropriâ, dum eam exigere potest in vim conventionis expressæ, vel tacitæ. Itaque *Dominium & pactum* sunt principales officiorum hypotheticorum radices. Cum verò officiorum hypotheticorum ferme infinitus sit numerus, cùmque eorum plurima in disciplinis aliis sive sacrī, sive profanis discutienda veniant ex instituto; hinc ea duntaxat in compendio perstringere juvabit, quæ scopo nostro & instituto vel maximè deserviunt.

Dominia rerum participata sunt seu derivata à Dominio imparticipato; adeoque non excedunt limites definitas à rectissima voluntate primi imperantis, seu Domini essentia- lis rerum omnium: nostra quippe dominia duntaxat accidentalia sunt. — *Dominium* igitur *creatuum* est jus disponendi de re tanquam sua in omnem usum primi jubentis intentioni consentaneum. — Unde sit, quod dominium creatum non dependeat à voluntate domini qualicunque; sed à voluntate recte subordinata primo jubenti Deo, quae & auctoris naturæ, immutabilisque rerum omnium domini voluntas, principalis debet esse regula in dispositione usque rerum, si dispositio & usus genuinis naturæ legibus adcommodentur, veluti adcommmodari omnino debent.

Igitur in consequentiam dominii hujuscemodi res ipsa domino devincta est & propria, ita ut alios tum à re ipsa, tum ab usu illius ejusque fructibus excludere jure valeat. — Præter res, quas quis suo subjectas habet dominio proprietatis, existunt insuper vel communes pluribus, vel alienæ, particulari nimicum alterius dominio subjectæ.

Præcipui dominii effectus sunt jus *perceptionis*, jus *possessionis*, & jus *alienationis*. — Jus hoc percipiendi commoda rei complectitur facultatem disponendi de rei substantia, insuper & ea debite utendi, & bauriendi fructus enatos



tos tum per rei naturam, tum per industriam interpositam; ex quo & colligitur, fructus illos esse vel naturales, vel industrielles, vel mixtos ex utrisque. Conficitur ulterius, rem aut sterilem esse, quæ solo usu commodum præstat, uti v. g. horologium, aliam frugiferam, quæ germinat fructum, ut v. g. ager. Obtinent hinc vulgata sequentia: *Res fructificat domino suo. Ex re aliena nemo locupletari debet. Res suo domino stat, aut cadit.*

Quoniam igitur rei *substantia, usus, & fructus* inter se differunt; hinc dominium aliud *perfectum* est, aliud *imperfectum*. — *Perfectum* est illud, quod tum substantiam seu proprietatem rei, tum ejus emolumenta, usum nempe fructumque continet: *imperfectum* est contra nuncupant illud, quod complectitur alterum ex his sine altero; id quod *directum* audit, si rei substantiam seu proprietatem habeat, *utile* verò, dum exclusa proprietate sistit in emolumentis, in usu nimis, vel in fructu disjunctivè, vel distributivè & in usu, & in fructu, sive in usu fructu.

*Possessor* rei ille dicitur, qui eam occupatam potestati suæ subiectam habet. Subiectio hæc potest esse merè physica, aut etiam moralis, dum quis usum vel exercitium juris sua in potestate habet. — Sicut dominium, ita & possessio respicit res tum corporeas, tum incorporeas. Possessio rerum cor-

corporalium quasi ad sensum perceptibilis est; incorporalium verò tantopere haud perceptibilis est, quare & hæc *quasi* possideri dicuntur ob potestatem deveniendi ad actus ex illis causis & juribus incorporeis provenientes. — Alius est igitur *nudus* rei possessor, quin ulla in rem possessam jure gaudeat; aliis verò possessor *jure suffultus*. Præterea in jure non parum intereat inter possessorem *bonæ*, & inter possessorem *malæ fidei*.

Quoniam denique vi dominii de re sua disponere quis potest, eidem jus competit dominium suum viâ legitimâ transferendi in alium, in quo propriè consistit *alienatio*: ubi tamen notandum, quod nemo plus juris transferre queat in alterum, ac ipse habeat.

Quoad rerum *acquisitionem* pater ex prioribus, quod acquirendi jus ad statum pertinet *connatum*: atverò *modus* acquirendi spectat ad statum *adventitium*. Legitus, seu legibus conformis acquirendi modus est medium competens ad res numerandas inter suas: modus autem ille vel est *originarius*, quo acquiruntur res, quæ re ipsa sunt nullius; vel *derivativus*, quo acquirimus res, quæ alterius erant subiectæ dominio.

*Titulus* legitimæ acquisitionis ea est ratio, per quam intelligitur, rem justè fuisse acquisitam. Quod si ex facto, quo sit acquisitionis, translati dominii ratio intelligatur, di-



citur titulus dominii, vel juris *translativus*; secus verò, uti in locato, commodato, non *translativus* dominii. — Titulus igitur dominii, aut realis juris reipsa *translativus*, nuncupatur *verus*; aliis verò *adparens* duntaxat est, sive existimatus bonâ fide, quem & *coloratum* vocitant. Addunt nonnulli titulum *fictum*; verùm aut *fictum*, aut nullum habere titulum, perinde esse videtur.

*Occupatio* est apprehensio rerum, quæ sunt nullius, cum animo eas faciendi suas. Tales autem non eæ duntaxat censendæ sunt res, quæ nullius unquam fuere subiectæ dominio; verùm etiam *res derelictæ*, eæ videlicet, quarum aut quis dominium abdicavit, aut quæ diuturnitate temporis aliòve modo à dominio exciderunt: talia quippe ad jus omnium reversa meritò judicantur, tenetique de ipsis, quòd sint primò occupantis; ita nempe, ut prior tempore, prior sit jure. — Aliter omnino statuendum est de rebus illis ab alio occupatis, quæ re ipsa adhuc habent dominum, veluti de rebus amissis, ablatis, tempore naufragii, inundationis aquarum, incendii &c. jaëtatis; tales enim res per id non excidunt à dominio, adeoque suum semper clamant dominum, & ab eo ubicunque repertæ vindicari possunt, teneturque quilibet, qui eas occupavit, fideliter conservare, quia rem occupando suscepit rei periculum; insuper inquirere debet in dominum rei, ei que hujus generis rem occupatam restituere. — Maxi-

Maximè igitur hoc loco corrigendus est error vulgi, perperam existimantis, rem deperditam fieri primò occupantis, seu inventam esse inventoris. Sanè aliud est, rem animo invito perdere, & aliud, ejus velle abdicare dominium: cum ergo res amissa maneat sub dominio amitterentis, rei istius inventio & occupatio insufficiens est titulus ejus acquirendi dominium, etsi inventor habeat animum eam numerandi inter res suas.— Quid præcisè in vim juris naturæ resolendum sit de thesauris, effossione mineralium, venatione, piscatione, aucupio &c. ex præcedentibus facile colligitur.

Modum acquirendi principalem sequitur modus acquirendi accessorius, qui consistit in jure capiendi accessiones, incrementa, ac fructus rei in dominio nostro existentis. Cùm igitur in vim dominii competit domino quilibet rectus rei usus; consequens est, quod & ipsi competit jus ea capiendi singula, quæ rei suæ legitimè accedunt, competentia nimirum rei suæ incrementa, quæ propriè rei accessiones nuncupantur: nam *accessio est jus incrementa substantiæ suæ advenientia sibi vindicandi.* — Accessio incrementorum est vel *naturalis*, uti in fœtura animalium, enatis insulis, alluvione, alvei mutatione &c. vel *industrialis*, veluti dum in fundo meo quis ædificat, vel commixtione, confusione &c. vel in materiam novam formam inducendo, quo casu *specificatio* accidit &c. vel denique *mixta*



*mixta* est accessio, dum partim per ipsam naturam, partim per hominis industriam rei incrementum ad crescere, uti fit ferendo, plantando &c.

Vulgatum istud: *accessorium sequitur principale*, indiscriminatim non obtinet, sed ab adjunctis valor illius & applicatio determinari debet. Porro generatim & ex visceribus juris naturae differendo, res nostra si ad alienam, vel aliena ad nostram accedat, ea non fit unius cum exclusione alterius, sed oriens videtur communio positiva, quae pluribus coniunctim in re indivisa competit, eaque vel retinenda; vel res, quoad fieri potest, inter se separandae, vel alteri aestimatio partis suae praestanda est.

## §. XIV.


### *De officiis hypotheticis, quae diffluunt ex pactis & contractibus.*

**P**aetum à paciscendo derivatum definiri solet: *Duorum vel plurium in idem placitum consensus pariens obligationem.* — Consensus iste non merè theoreticus, sed efficax & practicus esse debet, vi cuius nempe suscipitur, aut remittitur jus, vel obligatio tanquam effectus moralis pactorum; ita quidem, ut id, quod ante consensum erat liberum seu voluntatis, consensu utrimque praestito fiat necessitatis. — Consensus ille mutuus pariter

debet esse sensibilis, ita, ut tum inter contrahentes, tum in societate humana intelligi possit, & à competentibus dijudicari. Nequit autem inter homines consensus iste intelligi, nisi vel exprimatur *verbis*, vel colligatur ex *factis*: prior dicitur *expressus*, alter verò *tacitus* nuncupatur; qui & quandoque rectè *præsumitur*, dum ea est cujusdam natura negotii, ut non possit non judicari, alterum eidem suum quoque consensum derulisse. Referunt hoc illud: *qui tacet, dum loqui tenetur, consensisse præsumitur.*

Proximus & immediatus pactorum *effectus* est obligatio, ac jus ex mutuo pacientium consensu resultans. Obligatio isthac cum jure conjuncta *naturalis* quidem est, atamen *hypothetica*, utpote consequens hypothesin facti. Quamvis itaque *jus pacisendi* connatum sit & *absolutum*, tanquam medium aptum ad conservationem vitæ, statisque perfectionem, ipsa tamen ex facto redundans obligatio est hypothetica: *perfecta nihilo minus est, veluti & jus ex pacto proveniens* itidem *perfectum* est.

Quoniam porro ex ipsa pacti natura patescit, eam esse mutuam ex una, & ex altera parte naturalem, eò quod rationem habeat in ipsa hominis rerumque natura; hinc & est *universalis*, sive pertinens ad omnem hypothesin pacti initi: ex quo sit, quod fides data servanda sit fideliter ab omnibus, qui-



quibuscum initum est pactum, videlicet tam à principibus, quam à subditis, insuper ab hostibus, à dissidentibus in religione &c.

Specie<sup>t</sup>ato igitur effectu, contractus alii dicuntur *unilaterales*, per quos sibi alterum obligatum quis tenet, sine obligatione sua mutua, uti sit in mutuo, commodato &c. alii *bilaterales*, seu *onerosi*, qui obligationem ex utraque paciscentium parte continent. Contractus *nominati* vocantur, qui ob ipsum frequentiorem usum sortiti sunt proprium ac specificum nomen; *innominati* ē contra, qui speciali nomine carent: quare dicitur iure: "plura sunt negotia, quam vocabula". Leg. natura 4. D. præscriptis verbis. Sic permutatio nomen generis est potius, quam speciei.

Et quidem primò omnium necessitas homines compulisse videtur ad illud ineundum pactorum genus, quod simplicissimum est, nempe ad *permutationem*; per hanc namque res cum re, opera cum opera, res cum opera, aut opera cum re permutatur; quos quidem contractus vocare innominatos placuit Ictis; revocando eosdem ad formulas sequentes: I. *Do, ut des.* II. *Facio, ut facias.* III. *Do, ut facias.* IV. *Facio, ut des.*

Enata pariter fuere & pacta altera; videlicet *commodatum*, vi cuius res alteri certum usum tempusque præfixum gratis ad eam legem

lege conceditur, ut deinde restituatur. — *Depositum*, quo res alterius fidei committitur custodienda sine ejus usu, cum obligatione eam reddendi ad arbitrium deponentis. — *Mandatum*, quo alium consentientem ad certa quædam negotia nostro gerenda nomine deputamus.

Quoniam verò solà obtinente permutatione aliisque nonnullis minoris momenti contractibus, commercio in societate humana tantopere necessario & utili ad sufficien-  
tiam non erat provisum, mutuaque homi-  
num ac gentium indigentiae satisfieri nequi-  
bat; aut, veluti loquitur Ictus Paulus: "non  
semper ac facile conveniebat, ut cum tu  
haberes, quod ego desiderarem, ego ha-  
berem, quod tu accipere velles, electa  
materia est, cujus publica ac perpetua æsti-  
matio difficultatibus permutationum æqua-  
litate quantitatis subveniret; eaque mate-  
ria formâ publicâ percussa (*pecunia*) usum  
dominiūmque non tam ex substantia præ-  
ber, quam ex quantitate, nec ultra merx  
utrumque, sed alterum pretium vocatur,".  
L. I. ff. de contr. eint.

Pecuniâ igitur authoritate publicâ for-  
matâ & introductâ, amplior ad ineundos  
contractus campus aperiebatur; inde enim  
enati sunt contractus *emtionis*, *venditionis*,  
dum quis pro pecunia mutuo consensu de-  
terminata rei suæ dominium transfert in al-  
terum;



terum; *locationis*, *conductionis*, si quis nempe rei suæ usum, aut suam operam pro certa pecuniae mercede conductam elocat alteri. Pariter inde resultat *cambium*, dum pecunia commutatur cum pecunia.

Hoc etiam loco memorandi veniunt *contractus* quidam alii; videlicet *mutuum*, quo res eâ lege traditur alteri, ut statim in dominium & usum transeat accipientis cum obligatione reddendi similem in specie & bonitate post definitum temporis lapsum; ubi patet id locum habere sive in pecunia, sive in rebus aliis, v. g. frumento, vino &c. — *Pignus* & *hypotheca*: in pignore res traditur, in hypotheca res obligatur creditori eatenus, ut si debito tempore non præstetur præstandum, ad rem oppignoratam, aut hypothecatam pateat recursus. — *Fidejussio*, seu obligatio suscepta solvendi illud, quod debet tertius, si is non fuerit solvendo. — *Societas*, seu *conventio* duorum vel plurium ad collationem rerum vel operarum cum communicatione lucri, vel damni inde resultantis.

*Contractus* hujusmodi & pacta, si debitis vestiantur conditionibus, idem est de variis aliis, juri naturæ adtemperantur, atque ad idipsum in radice & fonte recurrentibus tamen uberioris recensendis supersedemus, discussionem hanc iis relinquendo, qui has ex professo materias pertractant.

§. XV.

*De Restitutione.*

**Q**uòd intuitu complurium officiorum hucusque expositorum varii, & tertio præjudiciorum ac nocivi committi possint defectus, omnino perspicuum est; quæ quidem officia si tali fuerint violata modo, per restitutio-nem sanari debent, quæ proinde restitutio-nis obligatio peculiarem depositit expositionem.

*Restitutio est reparatio damni illati.* Damnum istud est vel in bonis animum concer-nentibus, vel in bonis corporis, vel in bonis fortunæ. Quemadmodum jus naturæ vetat, alteri damnum inferre, sic & præcipit re-farcire illatum.— ut restitutio obliget, damnum illatum præsupponi debeat in bonis, quæ quis jure tenet *perfecto*. — Requiritur insu-per verus nocendi animus, qui quidem præ-sumitur, quando actio ex se & præsentibus adjunctis juri perfecto alterius adversatur.— Reparatio offendæ sit per satisfactionem pro-priè dictam: reparatio damni per restitutio-nem.— Qui adhibita vi alterum re sua spo-liare adtentat, nec tamen prævalet, effectu nempe non secuto, injuriam quidem irro-gat, attamen damnum re ipsa non infert: & qui uni v. g. horologium furto, alteri per rapinam eripit, æquale damnum, non æqua-lem infert injuriam.— Satisfactione eam respi-cit æqualitatem, quæ sit per medium rationis, quia



quia per rationem fit æstimatio tum offendit,  
tum personarum, quibus satisfactio est ad-  
modanda. — Cùm vero restitutio respi-  
ciat damnum, cuius est redintegratio, fieri  
debet per medium rei; exigit proinde per-  
fectam æqualitatem rerum, ita nimirum, ut  
is, qui ob damnum illatum minus habet,  
quàm jure perfecto habere debet, per resti-  
tutionem obtineat idem vel æquale.

Restitutionis *radices* ad duas potissimum  
partes reducuntur; videlicet ad *rem acceptam*,  
& ad *acceptationem seu damnificationem injus-  
tam*. — Itaque res accepta sive aliena extans  
in se formaliter, aut in æquivalenti apud  
eum, cui nullum eam tenendi competit jus,  
prima est radix, ex qua restitutionis evolvi-  
tur obligatio: unde hæc enata sunt axioma-  
ta: *Res clamat ad dominum*. Item: *Nemo cum  
alterius injuria, jaætura & detimento locupletari  
debet*. — Porro, si res apud dominum peri-  
tura fuisset ob incendium, naufragium, inun-  
dationem, deprædationem hostium &c. ser-  
vata autem fuerit in manu aliena, restituenda  
erit domino, quia per id, quòd peritura  
fuisset, re ipsa autem, etsi per accidens, non  
perierit, non cessat esse domini; nullus enim  
abdicati dominii subintrat titulus. — Sed  
quid, si res aliena pereat apud te v. g. in  
communi inundatione, quæ eadem de causa  
certò etiam periisset apud dominum? Si fue-  
ris possessor bonæ fidei, résque, uti pater-  
*ex casu, tuam citra culpam perierit, tene-  
beris*

beris ad nihil. Quodsi fueris malæ fidei possessor, teneberis ad restitutionem in æquivalenti: ipso namque primo momento, quem alienam malā fide occupare & possidere incipiebas, inchoabatur onus & obligatio restituendi, quæ obligatio omni momento injustæ possessionis renovatur, neque in cursu extinguitur per hoc, quod res etiam apud dominum peritura fuisset; quia enim tu rem injustè occupando, ejus suscepisti periculum, hinc tibi perit.

Restitutionis secunda radix est injusta acceptio vel damnificatio. Poteſt igitur alteri inferri damnum per id, quòd aut res illius injustè à quodam accipiatur ac detineatur, aut quòd res illius per actionem injustam deſtruatur, nihilo de ea remanente superstite. Primo casu obligatio restituendi ex dupliſi fonte profluit; ſcilicet tum ex re accepta, tum ex acceptione injusta. Secundo casu onus iſtud oritur ex ſola injusta damnificatione; ſic tamen utrumque, ut non ſolum res ipſa, ſi adhuc existat, aut illius æquivalens, ſi pierit, restitui debeat, ſed resarcienda ſint singula inde manantia damna, puta, omne lucrum ceſſans, & omne damnum emergens relatè ad rem ejusdēmque fructus.

Ex radice rei acceptæ restituere tenetur etiam poffeffor bonæ fidei, in quantum res ipſa adhuc exiſtit vel in ſe, vel in æquivalenti, quantum nempe ejus intuitu factus  
est



est ditior; eo ipso enim, quo quis advertit se se possidere illud, quod alienum est suumque clamat dominum, in vim juris naturalis subintrat & clamat naturae officium: *cuique suum.* — Sed quid, si res aliena bona fide sit consumta? si consumta fuerit ita, ut nihil illius etiam in effectu seu æquivalenti reputabile sit, id est, si eam consumendo non pepercit suis, proin ex ea ditior haud sic effectus, per se loquendo à restitutionis onere passim dicitur immunis; secus autem prorata, id est, pro ratione existentiae in effectu restituere tenebitur.

Ad contrahendam obligationem restituendi, ubi nuda illata est damnificatio, ita nimurum, ut nec res accepta, nec ullum præmanibus sit emolumentum, passim requirunt culpam theologicam, eam videlicet, quæ imputatur ad peccatum per damnificationem alteri illatam: qua quidem suppositâ, quemlibet ad restitutionem teneri ante omnem judicis sententiam, res apud omnes est perfecta. — Non ita convenitur pro casu, quo quidem damnificatio talis obtinet, verum non nisi cum culpa, uti ajunt, juridica, culpa theologica penitus seclusa. — Disputare hoc loco non liber, utrum culpa juridica lata, videlicet omissione diligentiae illius, quam pro casu tali prudentes quique adhibere solent, non sit imputabilis ad culpam theologicam. — Ad decidendum prætæctæ quæstionis statum in conformitatem principiorum juris

Juris naturæ, id saltem statuendum erit; suppositâ culpâ juridicâ latâ ex parte damnificantis commissâ, réque ex parte damnificati ad competentem judicem delara, eaque culpâ evictâ, subsecutâ dein justâ judicis sententiâ in damnificantem in ordine ad illati damni reparationem, sententiæ huic omnino parendum esse, eumque ex jure naturæ hypothetico, etiam sub legibus conscientiæ, extunc obligatum esse ad resarcendum damnum illatum, quin & locum habeat occulta compensatio.

*Finis primæ partis, seu juris naturalis privati.*

*Sequitur pars secunda, sive jus naturæ sociale.*



*Defens.*